DE
PLAUTI FABULARUM RECENSIONIBUS AMBROSIANA ET PALATINA COMMENTATIO CRITICA

SCRIPSIT

BRUNO BAIER

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNERUM
1885

AUGUSTO REIFFERSCHEIDIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

STUDIORUM AUCTORI ET ADIUTORI LIBERALISSIMO

SACRUM

Liber, cuius ante hunc annum primam edidi partem, nunc demum integer in publicum prodit, non qualis satisfaciat consilio meo ac voluntati, sed qualis e manibus tandem emittendus erat etsi nondum satis perpolitus maturatusque. nam quod ubique in litteris diem die doceri videmus, id inprimis valet in eiusmodi quaestionibus, quae per vias sive omnino novas sive a paucis temptatas procedant. itaque cum partim ob temporum angustias partim ob incredibilem typothetae segnitiam in plagulis imprimendis permultum temporis consumeretur, ego vero huic quaestioni incumbere numquam desinerem, non potuit non evenire ut aliquotiens quod initio feceram iudicium immutarem, immutatum vero profiteri non cunctarer non tanti faciens quod disputationis cursum, qualem in primi capitis fine proposueram, anxie tenere ita non licebat. quodsi sub finem inprimis commentationis aliquid incommodi extiterit, boni consulant quaeso lectores veritati me non constantis iudicii mendaci speciei studuisse scientes. deinde non casu neque neglegentia factum est quod nonnulla, quae ad hanc quaestionem spectant, a disputatione exclusa sunt. velut quod de hiatu et de versuum discriptionis diversa in recensionibus condicione quaestionem peculiarem non tam instituere quam in publicum edere nolui, ideo feci, quia ad has quaestiones intricatissimas enodandas nisi doctissimos quosque neminem esse idoneum viderem; terrebant enim iusta dubitatione viribus suis

diffisum vestigia quorundam, qui has vias maiore cum fiducia quam successu inierant.

Opusculum autem qualecunque confectum est non possum emittere quin gratissimo animo referam de eo cum conscribendo tum imprimendo prorsus singulari modo meritum esse Georgium Wissowa amicum inter omnes carissimum, cuius indefessa opera numquam mihi defuit.

Scripsi Vratislaviae Kal. Oct.

BRUNO BAIER.

Plautinarum fabularum emendatio cum inter spinosissimas artis nostrae provincias iure existimetur et ob singularem sermonis Plautini indolem et propter librorum qui hodie supersunt condicionem miseram, qui nullum non perpessi sint corruptelarum genus, tamen his omnibus maiores difficultates oboriuntur ei, qui genuinam fabularum formam reciperare studet, inde, quod nunc quidem neminem fugere potest etiam librorum nostrorum archetypos adeo non ipsam poetae manum repraesentavisse, ut totas fabulas exhiberent data opera a correctoribus retractatas. cuius retractationis vel, ut usitato nomine utar, recensionis duo genera sunt: quorum alterum continetur in ea fabularum retractatione, qua a dominis gregum in novarum actionum usum totis scaenis vel scaenarum partibus, quales a Plauto profectae erant, novae aut substitutae sunt ita, ut Plauti versus perirent, aut adscriptae, ut Plauti versus iuxta eos, qui ad illorum similitudinem postea effingebantur, aetatem ferrent. id vero scimus plerumque in eum finem factum esse, ut a Plautinis comoediis robiginem antiquitatis detergerent, aut ne verborum rerumve in scaena gestarum obscaenitate, qualem Plautus non vitavit, aures oculique audientium offenderentur, aut denique, ut scaenis resectis fabulae Plautinae in brevius contraherentur; quo facto si qui hiatus sententiarum continuitatem interrumpebant, de suo ingenio supplementa subdiderunt. in qua rerum condicione ut vere Plautina disterminarentur ab iis, quae ab aliis poetis qualibuscunque in Plautum invecta sunt, insignem operam contulerunt viri de Plauto optime meriti multaque certis aut — sicuti in eius modi disquisitionibus usu venit — probabilibus ratiocinationibus expediverunt. a qua diversum est alterum recensionis genus grammaticae, quae ad fabularum oeconomiam non pertinet, sed in singulis verbis vel versibus mutandis versatur eoque inprimis consilio a grammaticis instituta est, ut linguam et versus recentiori consuetudini et

loquendi et artis metricae adaptarent, verbis minus aptis alia substituerent, mancos locos supplerent atque ita poetam pro arbitratu suo emendarent. eiusmodi mutationes certum est non solum archetypum expertum esse, ex quo omnes nostri codices Plautini fluxerunt, sed etiam ea comoediarum exemplaria, ex quibus scriptores et grammatici latini, cum Plautum citarent, sua testimonia hauserunt. at ille archetypus utrum recensionem fabularum Plautinarum repraesentaverit, id est per omnes fabulas a grammatico quodam deliberato consilio ad certas normas correctus sit, an hominum doctorum coniecturis et interpolationibus sparsim illatis in eam condicionem redactus sit, quam ex codicibus reconcinnare licet, in incerto nunc quidem relinquo. de iis vero versibus, qui apud scriptores latinos citati diversam a recensionibus et Ambrosiana et Palatina scripturam exhibent, cautissime iudicandum est. quorum scripturae discrepantias cum saepenumero non tam recensioni cuidam Plauti comoediarum, quam ipsius qui citavit scriptoris memoriae vel librariorum socordiae deberi certum sit, quae restant propter exiguum numerum vix possunt cum confidentia ad aliam recensionem referri.

Sed veras easque diversas fabularum Plautinarum recensiones videmus extare in libris manuscriptis, in Ambrosiano palimpsesto et in Palatinis codicibus; qui duplicem harum comoediarum memoriam repraesentant eum in modum diversam, ut in universo litterarum antiquarum campo vix ullum invenias exemplum simile. unde vero tot et tam gravium differentiarum causa repetenda sit, porro utra recensio verba poetae religiosius servaverit, utra manu correctoris magis deformata sit, de his quaestionibus iudicia virorum doctorum non minus longe distare videmus, quam ipsas recensiones.

Atque Fridericus quidem Ritschelius in celeberrima quam de Ambrosiano ad Godofredum Hermannum dedit epistula[1]) et in Prolegomenon capite sexto, postquam varia corruptelarum genera et in Ambrosiano et in Palatinis obvia persecutus est (p. LXV = *Op. ph.* V 324), illas omnes discrepantias ita comparatas esse iudicat, ut consilium aliquod corrigendi ne levissimo quidem indicio prodant; et paulo post confirmat, quod iam in epistula illa ad Hermannum missa scripserat: metrorum correctorem nullis vel in A vel in P vestigiis prodi. etenim quae in codices Plautinos

---

[1]) *Zeitschr. f. Alterthumswiss.* 1837 p. 748. 755 sq. = *Op. phil.* II p. 182. 193.

invasissent pravae scripturae, eas fere omnes repetendas esse aut ex librariorum erroribus aut ex propria natura sermonis Plautini, qui linguae cotidianae consuetudinem dicendi laxam et quasi remissam imitatus facillime librarios pelliceret, ut verba omitterent adderent transponerent inter se mutarent; Palatinorum autem praeterea non pauca vitia inde nata esse, quod librarii litteras unciales in minusculas prave transcripsissent vel exemplaribus male habitis et lacunosis usi essent.

Sic qui iudicabat, debebat profecto antiquitati codicum quam plurimum tribuere, cum in antiquissimum codicem omnium minime tales librariorum errores invasisse consentaneum esset. itaque Ritschelius rationi prorsus convenienter, num Palatinae recensionis archetypus pari vel adeo maiore bonitate quam A fuerit, nihil valere dicit ad emendandum poetam, quoniam illa recensio, qualis a saeculorum sordibus libera olim fuerit, nunc repraesentari nequeat; immo Ambrosiano codici propter aetatem praestantiam bonitati vicariam adiudicandam esse, ubicunque pari bonitate sint discrepantes inter se scripturae (*Prol.* LXIII sq. = *Op. ph.* V 322). deinde ex eodem Ritschelii iudicio altera quoque lex artis criticae exercendae fluxit, quam etsi ipse numquam quod sciam disertis verbis promulgavit, tamen reapse in comoediis edendis secutus est. etenim sicubi Ambrosianus versum ab omni parte integrum exhibebat, in P vero altera lectio aeque bona extabat, quae neque casu orta erat neque, ut Ritschelio videbatur, interpolationem redolebat, spinosum erat negare utramvis versus formam Plautinam esse posse neque facile perspiciebatur utra maiore cum iure reciperetur. hac igitur ratiocinatione Ritschelius saepe adductus est, ut ex utriusque recensionis testimoniis in unum conflatis Plauti verba reciperare studeret, id quod ratione dissuadetur, ubi primum correctorem quendam in altera recensione sua verba Plautinis saepius subiecisse cognitum est. ut pauca exempla sed ea satis memorabilia afferam, cum *Mil. glor.* 24 in A extet ‚[estur] insanum bene', in P et apud Varronem *de. l. l.* VII 86 ‚estur insane bene', Ritschelius, ne quid ex verbis in codicibus traditis periret (*Op. ph.* III 791), utraque scriptura confusa edidit ‚insanum insane bene'. postea demum verum adsecutus est (*Op. ph.* III 789). etiam gravius est, quod *Stich.* 632 versus in recensionibus quam maxime discrepantes

A: . . . . erunt Gelasime vide nunc consili . . ano opust

P: Iamne abisti? Gelasime vide, quid es capturus consilii

sic contaminavit:

Iamne abis tu? [abit profecto.] nunc consilio sano opust
[Ambo abi]erunt. vide Gelasime, quid capturu's consili.

Denique in priore *Trinummi* editione ad versus cantici 264—275 constituendos coniunctam Ambrosiani et Palatinorum memoriam adhibuit, in altera rectius in solo Ambrosiano nisus versus discripsit. neque enim perseveravit in ea quam modo adumbravi sententia, sed quo magis crisis Plautinae indolem perspexit, eo magis ab hoc iudicio declinavit. namque cum in *Opusculorum* volumine altero iterum epistulam illam, quam ad Hermannum triginta annis ante scripserat, ederet, in adnotatione (*Op. ph.* II 193) disertis verbis professus est se iam eo adductum esse, ut recensionem fabularum Plautinarum consulto factam sat multis locis agnosceret.[1]) quin eo progressus est, ut eiusmodi recensionis diversa exemplaria repraesentari codice rescripto et Palatinis libris rectissime intellegeret; id quod cognosces ex iis, quae disputavit in Fleckeiseni *annalibus* 1868 p. 342 = *Op. ph.* III 791[2]), quo eodem loco de recensionum pretio et auctoritate ita iudicat, ut Palatinam recensionem non uno nomine Ambrosianae praestare concedat. nihilo setius in recensione agnoscenda inconstantior fuit in altera Trinummi editione. nam ne urgeam, quod pluribus locis retractationem factam esse non animadvertit, in *Trinummi* v. 186, ubi duplex in A mutatio efficit, ut de recensione facta dubitari nequeat, Ritschelius nimis caute addidit ‚aut errore aut e correctione metrica' hoc natum esse. de distinendis inter se diversarum recensionum scripturis ne illic quidem disertis verbis iudicium fecit; in universum autem, ne discrepantes

[1]) ‚Dass ich hier in der Verneinung jeder recensirenden Thätigkeit, die mit Bewusstsein und Absicht geübt, gelegentlich sich auch auf das Metrische erstrecken musste, doch zu weit gegangen war, konnte mir später bei der kritischen Bearbeitung der einzelnen Stücke nicht verborgen bleiben, wo Beispiele genug ans Licht getreten sind.'

[2]) ‚Bei eingehender und unbefangener Betrachtung [muss sich] mehr und mehr die Überzeugung Bahn brechen, dass zwar in allem, was sich auf den natürlichen Vorzug einer sechshundertjährigen Alterspriorität zurückführen lässt, der Palimpsest unbedingt über den Palatinischen Handschriften steht, an sich dagegen die den letzteren zu Grunde liegende Textesgestalt nicht etwa nur den gleichen Rang mit der des Palimpsests behauptet, sondern vielfältig eine entschieden echtere, weil von recensirender, namentlich abglättender und das Alterthümliche verwischender Thätigkeit freier gebliebene Überlieferung darbietet.'

recensionum scripturas misceret, in altera editione Trinummi cavit, nisi quod non satis constanter hanc rationem tenuit: non enim debuit v. 257 ex diversa codicum memoria

A: haec ego || Quum cum animo meo reputo

P: Haec ego cum ago cum meo animo et recolo

hanc versus formam componere:

Haec ego quom cum meo animo reputo [et recolo.....].

ceterum hic adnotasse iuvabit in Ritschelii praeceptoris priore sententia et Usenerum[1]) et Kiesslingium[2]) ita perstitisse, ut nonnullis exemplis Palatinorum fraudem demonstrantes in solo Ambrosiano crisin Plautinam niti debere pronuntiarent.

Quam Ritschelius in Prolegomenis refutasse sibi visus erat sententiam de consilio correctorum in Plauti comoediis manifesto, eam Geppertus recepit, incredibilem in modum is quidem ea abusus. nam ineptum est, quod Ambrosianum, qui Palatinos dignitate longe superet, secundum ‚rhythmicas', Palatinos secundum ‚grammaticas' rationes, id est ad normas metricas grammaticorum (*praef. Trin.*[2] p. 124.) correctos esse contendit. itaque etsi in Ambrosiano et Palatinis duas fabularum Plautinarum recensiones nobis servatas esse primus dixit, nihil tamen inde laudis ad eum redundat, praesertim cum in fabulis ab ipso editis diversas rationes criticas, a quibus auctores recensionum profectos esse arbitratur, minime respiciens ubicunque aptum videbatur utriusque recensionis scripturas coniunxerit.

Maximo vero opere in huius quaestionis historia memorabile est Theodori Bergkii iudicium, post Ritschelium inter Plautinos homines vere singulari doctrina et admirabili divinandi facultate facile principis. hic quotiens in hoc litterarum campo Ritschelio adversarius extiterit acerrimus qui meminerit, mirabitur profecto, quod in hac de qua agimus quaestione, si eius summam spectamus, uterque vir doctus ab eadem fere sententia profectus paullatim paene in contrariam se convertit. atque in censuris Ritschelianae editionis, quas Bergkius scripsit[3]), frustra quaesiveris, ubi Ritschelii sententiam, quae est de causis differentiarum inter codices intercedentium, aut probaverit aut reiecerit; nam nullum ibi fecit

---

[1]) *Jahrb. f. Phil.* XCI p. 263 sq.

[2]) in censura editionis Truculenti Spengelianae *ibidem* XCVII p. 609 sq.

[3]) *Zeitschr. f. Alterthumswiss.* VI (1848) p. 1124—1149; VIII (1850) p. 325—348.

verbum de codicum condicione; unde concluseris Bergkium de hac re tum quidem temporis aut ad certum iudicium nondum pervenisse aut Ritschelii sententiam probasse. sed in commentatione *de Plauti Trinummo* (Ind. lect. Marb. 1849—1850 = *Op. ph.* I 53—70), cum in singulorum locorum enarratione versaretur, quaedam disputavit, quae huc pertinent. indicavit enim retractationem metri gratia in P susceptam *Trin.* v. 200

P: Neque mendaciloquius neque argutum magis

A: Neque mendaciloquius neque adeo argutum magis

ubi postquam *mendaciloquom* in *mendaciloquius* corruptum esset, voculam *adeo* in P dicit ,ab iis eiectam esse, qui versum vitiosum aliquo modo corrigere studebant' (*l. c.* p. VIII = *Op. ph.* I 61 sq.); neque aliter indicat de v. 212 (*ibid.* p. X = *Op. ph.* I 63) simul quanti Ambrosianum faciat demonstrans. itaque illo tempore Plautinas comoedias recensionem expertas esse vidit; ea vero qualis fuerit et quam late pateat, non videtur satis perspexisse, quoniam sine ulla dubitatione discrepantia recensionum testimonia in versibus constituendis permiscuit; velut in *Stichi* versibus primis constituendis ipse dicit se in versibus discribendis Veterem, in verbis autem recipiendis Ambrosianum codicem secutum esse, quamquam in versu quarto diversitas recensionum eum non fugit:

A: absentium ita ut aequomst

P: absentum ut est aequom

(*Diar. ant.* VIII p. 339 = *Op. ph.* I p. 43). etiam canticum Trinummi primum, quamquam in nonnullis a Ritschelio dissentit, in universum eadem ratione, qua ille in priore editione, constituit, mixtis videlicet Ambrosiani et Palatinorum scripturis (*comment. de Pl. Trin.* III—VII = *Op. ph.* I 54—60).

Sed paulo post quam Ritschelius in Fleckeiseni *annalibus* (1868) de condicione recensionum iudicium, quod supra commemoravi protulit, Bergkius quoque in symbolis ad grammaticam latinam ab ipso a. 1870 editis similem sententiam professus est, simul de historia critica fabularum Plautinarum disserens. quae ibi disputavit, ex iis ad nostram quaestionem hoc potissimum respicit, quod Bergkius primus duo illa recensionis genera, quorum rationem initio huius dissertationis adumbravi, in Plauti comoediis, quales nunc leguntur, dispici dixit, alteram scaenicam, grammaticam alteram, cuius quidem diversa exemplaria nobis praesto esse cognovit in codice Ambrosiano et in Palatinis. quarum recensionum hanc esse condicionem, ut Palatini cum

antiquiorem tum integriorem memoriam repraesentent, quod contra auctor recensionis Ambrosianae dedita opera fabulas satis audacter retractaverit.[1]) quae si contuleris cum illo Ritschelii iudicio, concesseris ex horum testium consensu etiam rei, de qua consentiunt, non mediocrem accrescere probabilitatem, praesertim cum accedat tertius Fleckeisenus in *annalium* suorum vol. CI p. 711 eandem sententiam professus.

Plerique in transcursu tantum hunc studiorum Plautinorum locum tetigerunt et in unius alteriusve versus emendatione versantes, sicubi aut in A aut in P arbitrariae correctionis vestigia detexisse sibi visi sunt, de universa quaestione iudicaverunt: qua via ut ad liquidum res adducatur fieri vix potest.

Itaque cautiore hac in re iudicio usus est Guilelmus Studemund, vir non uno nomine de Plauto optime meritus; qui cum alibi tum in commentatione de Trinummo *Musei Rhenani* vol. XXI inserta et crebram in Trinummo correctionem factam esse exemplis demonstravit et de recensionum, quas ipse subtiliter et constanter distinuit, condicione iudicari non posse ex nonnullorum locorum pensitatione, immo omnibus demum locis congestis et inter se quantum fieri potest comparatis integritatem et auctoritatem utriusque recensionis ita aestimari posse ut artis criticae in Plauto factitandae certae leges inde apparerent, optime exposuit. quod donec factum esset de singulis locis cautissime iudicandum esse Studemundus exemplo suo docuit, cum recen-

[1]) *Beiträge zur lateinischen Grammatik* p. 123: ‚Die verhältnismässig jungen Pfälzer Handschriften repräsentiren die ältere Recension, während der weit höher hinaufreichende Mailänder Palimpsest eine spätere Revision darbietet. Der A ist natürlich frei von den zahllosen Verderbnissen, welche den Text der P entstellen; er bietet nicht selten allein Hülfe dar, ... aber nichtsdestoweniger muss ich bekennen, dass, je länger ich mich mit der Kritik des Plautus beschäftige und je mehr unsere Kenntnis des A sich erweitert, . . . desto höher mein Respect vor den Pfälzer Handschriften steigt; denn man sieht deutlich, wie sie im Ganzen getreu die Überlieferung wahren, während uns im A überall die bewusste Thätigkeit eines Kritikers entgegentritt, der nicht selten sehr frei und willkürlich verfährt, mag er nun nach eigener Vermuthung die Worte des Dichters abändern, oder älteren Quellen folgen, die seinen kritischen Principien mehr zusagten, wenn sie auch minder verlässlich waren.‘ haec ille cum Ritschelio consentiens; quod vero pergit, eam recensionum diversitatem praeter alia inprimis eo manifestam fieri, quod hiatus in P plerumque patienter toleraretur, ab Ambrosiani correctore ad severioris artis leges exigeretur, id dixit nimio hiatus excusandi studio ductus, quod suo iure acerrime impugnavit Ritschelius.

sionum diversitates, ubi satis firma iudicii fundamenta non suppetebant, saepe indicare satis haberet, suam vero ipsius sententiam praepropere aperire prudenter vitaret.

Totius vero quaestionis solvendae, ad quam Studemundus aggredi noluit, periculum fecit Maximilianus Niemeyer in dissertatione Berolinensi *de Plauti fabularum recensione duplici* a. 1877 scripta, ita quidem, ut magno locorum in altera utra codicum familia recensionem prodentium numero examinato Ambrosianae recensionis praestantiam defenderet. qui quamvis nonnulla videatur bene administrasse, tamen et nimio Ambrosiano patrocinandi studio praepeditus et sermonis consuetudinisque Plautinae parum curiosus a recta argumentationis via saepius aberravit; cuius rei exempla ipsa haec commentatio multa subministrabit.

Restat ut quomodo ipse rem instituerim paucis indicem. atque quod a disceptatione seclusi paene omnes earum fabularum locos, quae a Ritschelio operisque sociis iusto apparatu critico instructae nondum prodierunt, Captivorum Casinae Cistellariae Rudentis, consentaneum est. reliquarum in examen vocavi omnes versus, ubi A et P codicum discrepantiae cum aliqua probabilitate ex recensione in altera utra familia facta derivari poterant exclusis iis differentiis, quae verbis non mutatis in sola versuum discriptione conspiciuntur. ita autem materiam collectam disposui, ut primum caput Ambrosiani, alterum Palatinorum recensioni attribuerim grammaticae, quo nomine correctiones metricas, prosodiacas, ob archetypi lacunas aut ad sententiam corrigendam institutas, denique proprie grammaticas comprehendo. in tertio capite primum de scaenarum cum inscriptionibus tum distinctionibus per recensiones diversis disputabitur, deinde colligentur ii loci, quibus et Ambrosianum et Palatinos ex diversis histrionum exemplaribus derivatos esse intellegitur. quartum versabitur in eorum locorum enarratione, quibus viri docti lectionum discrepantias ex recensendi studio falso repetiverunt. quae ex universa disputatione prodierint leges criticae, in quinto breviter comprehendetur.

Caput primum.

§ 1.

Pseud. 138—140 (cf. Loewius in *Analect. Plaut.* p. 160).

A:[1]) Qui haec habent consilia ubi data occasiost rape tene Harpaga bibe es fuge hoc
Eorum officiumst mavelis lupos apud oveis quam hos domi linquere custodes

B: Qui haec habent consilia ubi data occasio est rape clepe tene harpagabile est (*haec omnia in uno versu*)
Fugi hoc est eorum opus ut induellis
Lupus aput ovis limquere, quam hos domi custodes

Ut leviora primum expediamus, in A *clepe* propter homoeoteleuton *rape* casu omissum, non consilio expulsum sine negotio restituemus. porro in *induellis* nihil nisi *mavelis* latere apparet. omnibus autem nominibus exploratum est post *fuge* cum sententia etiam versum finiri et verbo *hoc* integrum versum institui, quem in aliam metri formam rediget, qui cum Ambrosiano *officium*, in aliam, qui cum Palatinis *opus ut* Plauto vindicabit. ab hac igitur discrepantia proficiscendum erit. ac Loewius quidem *officium* longe praefert verbo *opus*, cuius loco debuerit dici *opera*, velut v. 142 ‚opera fallunt' 160 ‚num qui minus omnium utor opera?' 183 ‚quid mihi, nisi malum, vostra opera est'; cf. etiam 219. at verba ‚hoc est eorum opus' omnino aliam flagitant interpretationem: verbo enim *opus* prorsus eadem significatio tribuenda est atque voci *officium*. quod ut cum Plautina loquendi consuetudine non certare cognoscatur haec conferantur exempla:

---

[1]) Siglis his utar: Ar = Ambrosiani scriptura ex Ritschelii, As ex Studemundi, Al ex Loewii collatione. P = codicum Palatinorum consensus. B = cod. vetus., C = cod. decurt., D = cod. Ursinianus, J = cod. Britannicus, E = cod. Ambrosianus saec. XIII.

Most. 412 sq.

Verum id videndumst, id viri doctist opus
Quae designata sint et facta nequiter
Tranquille cuncta ut provenant et sine malo.

cum *Stich.* 297:

Nunc ultro id deportem: hau placet, neque id viri officium arbitror.

et ne in eo quidem possum Loewio adstipulari, quod dicit *opus ut* fortasse mera corruptela ex *officiū* natum esse. cuius opinio ut externa specie minime adiuvatur, ita eius probabilitas eo imminuitur, quod haud ita raro A et P inter se ita discrepant, ut in altera recensione duo enuntiata ὑποτακτικῶς coniungantur, in altera παρατακτικῶς ponantur, id quod tum maxime usu venire videbis, cum in altera sententia coniunctivus iussivus vel optativus locum habet, ut *Stich.* 299

A: Sic hoc videtur mihi magis meo convenire nuntio:
Advorsum veniat, obsecret e. q. s.
P: Sic hoc . . . nuntio, Advorsum ut veniat, obsecret e. q. s.

Merc. 488 A: Achillem orabo, aurum ut mihi det
P: Achillem orabo, aurum mihi det

Stich. 594 Immo unum hoc potest:
A: GEL. Quid? EP. Ubi convivae abierint, ut tum (tum ut *Ritschelius*) venias
P: GEL. Quid? EP. Ubi convivae abierint, tum venias

Pseud. 153 A: Hoc videas: alias res agunt
P: Hoc vide sis, ut alias res agunt

de quo loco vide quae infra disseram; eadem differentia me iudice intercedit *Trin.* 749. 750, quem locum peculiari enarratione illustrabo[1]). quin etiam inter Palatinae recensionis codices haec differentia extat *Mil. glor.* 1275

B: [Quid volt me facere ista?] Ad sed eas
CD: Ad se ut eas.

Denique utraque lectio in P coniuncta esse videtur *Pseud.* 191:

Fac sís sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis

---

[1]) Casu haec discrepantia exorta esse videtur *Trin.* 234:
A: hoc sic faciam opinor || Ut utramque rem simul exputem
P: hoc sic faciam opinor || Utramque rem simul exputem

P: Mihi etiam familiae omni sit meae atque adeo ut frumento affluam

Al: Mihi et malitiae meae (*de sequentibus verbis non constat*). altera scriptura videtur fuisse *atque adeo,* altera *adeo ut. etiam* vero illud Palatinorum sententia carens ita expedio, ut *iam* olim margini adscriptum alieno loco in P irrepserit; de quo corruptelarum genere cf. C. F. W. Mueller *Pros. Plaut.* p. 524 sq. 674. *Addit.* 86 sq. Schöll *Praef. Truc.* XVI sq. reponendum autem est ante *affluam;* itaque has versus formas habes:

Mi et fámiliae omni sít meae atque adeó frumento iam áffluam,
vel
Mi et fámiliae omni sít meae, ut adeó e. q. s.

Sed, ut e deverticulo redeam, his exemplis nihil aliud probare studui, nisi Loewium iniuria diversitatem scripturae ex corruptela derivare; de *ut* hoc loco vel retinendo vel resecando postea videbimus. vides autem, recensionum scripturae quamvis diversae sint, tamen per se neutram alteri cedere, ut iam metrica ratio sola restet, qua lis dirimatur. ac Loewius quidem ex memoria Palatinorum hanc stropham sat elegantem enucleavit:

Qui haéc habent consília:
Úbi data occásiost, rápe clepe
Tene, hárpaga, bibe, és, fuge.
Hóc eorúmst opus: mávelis[1])
Lupós apud oveis línquere
Quám hos domi custódes.

quae quamvis scite excogitata sit, tamen noluerim pro vere Plautina habere. neque enim hi breves versiculi concitatusque rhythmus, quibus varios potius animi motus, dubitationem spem gaudium, poeta exprimere solet, totius cantici indoli conveniunt, neque versus, de quibus agimus, singulari quodam novoque argumento, unde rationem metri mutati repetere possis, insignes sunt. immo ut poeta consilio totum fere canticum metris iambicis, trochaicis, anapaesticis, quippe quae tumultuosae lenonis orationi maxime accommodata sint, intermissis passim clausulis, percurrere voluit, ita hic quoque unum ex illis metri generibus ut restituamus non solum argumenti similitudo, sed etiam cum Ambrosiani tum Palatinorum memoria nos monet. atque Palatinos si sequimur, lenissima mutatione facta metrum nulla ex parte reprehendendum prodit:

Hóc eorum opust, ut mávelis lupós apud oveis línquere
Quám hos domi custódes.

---

[1]) deleto *ut* ante *mavelis.*

quid vero Ambrosianus? qui tantum abest, ut Loewii artificiosam distinctionem

Hóc eorum officiumst.

Mávelis lupós apud oveis línquere quam hos domí custodes

commendet, ut manum correctoris aperte prodat. qui, postquam *hoc* in superiorem versum abiit, hoc minime respiciens verba inde ab *eorum* in metrum redigere studuit *officium* pro *opus* substituens:

Eórum officiumst, mávelis lupós apud oveis quam hós domi
Línquere custódes.

correctoris opera quo dilucidius appareat, illud *hoc*, ut consentaneum est, insequenti versui restituatur: iam metrum corruit neque dispicio, quomodo vox *officium*, nisi alia verba sine idonea causa mutaveris, servari possit, quoniam iambicum octonarium constitui versus cum antecedentes tum consequentes vetant. *linqueré* vero, quod ipsi Plauto sine ulla dubitatione tribuo, correctori offensioni fuisse non credo. itaque in Ambrosiano mutationem sat audacter a correctore institutam deprehendimus.

Trucul. 246—250.

A: Velut hic est adulescens, qui habitant hic, agrestis, rusticus,
Nimis mortalis lepidus nimisq. probus amator; sed is clam patrem
Etiam hac nocte illa per hortum transit ad nos; eum volo
Convenire, sed est hic unus servus violentissimus.

P: Ui ut (= velut) hic agrestis est adulescens, qui hic habet[1])
Nimis pol mortalis lepidus nimisque probus dator,
Sed is clam pater etiam hac nocte[m] illac
Por (B, per CD) hortum transiliuit ad nos; eum volo convenire.
Sed est huic unus servus violentissimus.

Primus de hoc loco egit Studemundus, qui in libro, cui inscribitur *Festgruss der philologischen Gesellschaft zu Würzburg* p. 47 haec disserit: ‚Vers 35 (246 Schoell) muss eine schwankende Überlieferung gehabt haben; der Recensent des A, dessen Fassung wegen des Pleonasmus *agrestis rusticus* und wegen des gewöhnlicheren *habitat* statt des gewählteren *habet* gegenüber der pala-

[1]) *habit* B, *abit* CD, *habet* LZ, Placidus.

tinischen Recension in diesem Falle gewiss nicht den Vorzug verdient, machte daraus im Hinblick auf die nächstfolgenden Septenare folgenden troch. Septenar: ‚Velut — rusticus'. Der Recensent der P dagegen stellte im Anschluss an die vorhergehenden Senare einen wenn nicht Plautinischen, doch des Plautus würdigen jambischen Senar her.' cui viri doctissimi sententiae non ab omni parte me addicere possum; namque non tam ‚pleonasmum' illum *agrestis rusticus* ab auctore recensionis consilio inlatum, immo versum ‚glossematis dilatatum' in A extare rectissime observavit Schoellius; atque verbum *agrestis* una cum glossa *rusticus* olim margini adscriptum fuisse ipsa verborum in fine versus collocatio arguit. haud aliter *habitat* pro glossa ad *habet* adscripta habendam esse Niemeyerus Placidi glossis citatis (p. 52,6) indicare non supersedit, quamquam huic testimonio omnem vim abrogat. nec in eo Studemundo adsentior quod dicit auctorem recensionis Ambrosianae versum 246 septenarium formasse insequentium versuum ratione habita: immo corrector metricus cum versum glossematis receptis iusto longiorem intra senarii fines coercere non posset, septenarium finxit et ad eius normam etiam proximos versus in septenariorum formam redegit *pol* omisso, *transit* pro *transilivit* supposito, quattuor versibus in tres contractis:

1. Nímis mortalis lépidus nimisque próbus dator[1]); sed is clám patrem
2. Étiam — eum volo
3. Cónvenire — violentissimus.

sed Ambrosiano Niemeyerus patrocinatur libelli supra memorati p. 49, ut saepe, ita ibi quoque ad omnes argutias confugiens. atque ut ei largiamur quod in pleonasmo *agrestis rusticus* magno opere delectatur, gravius est quod versum 246 tam arte cum eis qui subsequuntur cohaerere ait, ut ab iis metri diversitate divelli nequeat. quod pertinere ad v. 247 nemo non videt; habet autem is etiam in P idem quod v. 246 metrum; versus 248 sq. concedimus sane cum antecedentibus quodam modo cohaerere, sed strenue negamus eos tam arto vinculo coniunctos esse, ut aliud versuum genus non admittatur. etenim postquam de amatoribus antea in universum sermo fuerit inprimisque de bonis datoribus, quorum quasi exemplar Strabax proponitur, iam ad novam rem

---

[1]) Hoc recensioni Ambrosianae restituere nullus dubito pro *amator*, quod post Ambrosiani correctoris aetatem e versu 236 illatum est.

enarrandam cum antecedentibus non nisi nomine Strabacis conexam poeta transit. ceterum miramur quod Niemeyerus versum 246 in A aliud metrum habere atque 245 eosque qui antecedunt minime curavit, quamquam sententiae necessitudine satis arte coniuncti sunt. nec plus Niemeyerus effecit prosodiam Plautinam in A scite observatam esse monens (*sed ĭs clám*, *éŭm volo*, *séd ĕst*), quasi talia in versibus interpolatis non tam crebro invenirentur, ut exempla afferre supervacaneum sit. longe incredibilius est, quod Niemeyerus ex hoc loco se didicisse ait: grammaticum Palatinos recensentem ne ab obsoletis quidem (*transilivit*) et reconditis (*habet*) formis abhorruisse, ut probum versum efficeret. quae praeterea addidit, in iis refutandis nolo diutius morari. unum satis habeo commemorasse, ab Ambrosiano inprimis ea de causa discedendum esse, quod singulae sententiae finibus versuum foede disrumpuntur, id quod artis Plautinae certa lex vetat. quae Bergkius (*Beitr. z. lat. Gramm.* p. 133) de hoc loco disputavit, partim obsoleta nunc nihil valent (velut in A *transit* ideo illatum esse, ut pronuntiatio *p'r hortum* vitaretur) partim post Schoellii sagacem observationem nihil prosunt. neque operae pretium est Gepperti iudicia (Stud. I 93) recensere.

Transeo ad versum *Trucul.* 252

A: Qui ubi quamq. nostrarum videt prope aedis adgrediri

P: Qui ubi quamque nostrarum videt prope aedis hac si adgredias

Ex *hacsi* eliciendum esse *hasce* (Bergk *Beiträge* p. 133) non minus certum est, quam ex A recipiendum esse *adgrediri* [1]); cf. Langen *Beitr. z. Krit. u. Erkl. d. Plautus* p. 82 sq. versus igitur fine ‚aedis hasce adgrediri' constituto vocem *prope* falsam sedem occupasse apparet; neque tamen hoc verbo ante *videt* posito integer versus prodit nisi pro *nostrarum* altera genetivi forma *nostrum* reposita:

Qui ubi quámque nostrum própe videt hasce aédis adgredíri

quem versum si cum traditis in A et P verbis comparamus, versum in archetypo iam corruptum a Palatinorum librariis religiose descriptum esse videmus, quod contra corrector Ambrosiani ‚versum per *nostrarum* (pro *nostrum*) et *videt prope* pro *prope videt*

---

1) Fortasse in Palatinorum apicibus id ipsum latet; cf. Schoell *Praef. Truc.* XXI: ‚*hacsi adgredias* pro *hasc(e) adgrediri* ex *hac adgredi* adscriptis *as ri* correcturis repetas.'

corruptum *hasce* male omisso restituit.' (Schoell *Praef.* XXI adn. 4.)

Trucul. 225—227.

A: Adridere ut quisq. veniat blandeq. adloqui male corde consultare (?)
Bene lingua loqui. Meretricem sentis similem esse addecet.

P: Adridere quis quis veniat blandeque adloqui
Male corde consultari bene loqui lingua
Meretricem esse similem sentis condecet.

Versus dubitari nequit quin per senarios dimetiendi sint, quoniam ea demum mensura accepta versuum et sententiarum fines optime concinunt. ac Buechelerus quidem palmari coniectura (apud Schoellium *praef.* XLIV) versum sic emendans ,Adrípere[1]) ut quisque veniat blandeque adloqui' cum Bergkii (*Beitraege* p. 136) tum aliorum opiniones recensendi compendium fecit. neque id non recte observasse videtur vir doctissimus, *blandeque adloqui* miserae interpolationi, qua genuina verba expulsa sunt, deberi. in Ambrosiani versuum distinctione ut correctoris industriam detegam ab altero versu ordiendum est; quem ad exemplar versuum insequentium in septenarium trochaicum auctor recensionis vertit duabus mutationibus sat liberis adhibitis; verbo enim *condecet* substituit *addecet* simulque ordinem verborum immutavit:

Béne lingua loquí. Meretricem séntis similem esse áddecet.

quod ad priorem versum attinet, ad iudicium certum pervenire non potui. quem cum Bergkius in dimetra trochaica cum monometro haud ita probabiliter diviserit, ego potius hanc proposuerim distributionem a metrorum correctore olim institutam:

Ádridere ut quísque veniat blándeque adloquí male
Córde consultáre,

est igitur septenarius trochaicus cum clausula, qua saepe Plautus usus est et quae in *Pseud.* v. 138—140 a me indicata est. quod *male* in exitu versus collocatum a proximis verbis segregatur, in Plauto sane ferendum non est, correctorem autem talia minime vitasse supra vidimus. sed haec ,si recte seu pervorse facta sunt', illud certe dubitatione exemptum est, in A alterum versum correctori metrico deberi.

[1]) ,aptum dentibus verbum' Buecheler l. c.

Ac ne quis probabilitate prorsus carere putet a correctore longioribus versibus clausulam brevem interpositam esse, satis praecautum est alio loco, qui quam violenter ille corrector in poetae verba consuluerit, egregie docet. *Pseud.* 194 Calidorus importunis obiurgationibus Ballionis indignatus his Pseudulum alloquitur, si Palatinos sequimur:

193 Audin, furcifer
194 Quae loquitur? satin magnificus tibi videtur?

Versus 194 cum iusto brevior sit, Ritschelius recte, ut videtur, post *loquitur* lacunam indicavit. de Ambrosiano audiamus Loewium optime sic disputantem (*Anal. Plaut.* p. 164): „V. 194 sq. cum omittat A ‚quae loquitur', habes trochaicum septenarium cum dimetro catalectico:

Sátin magnificus tíbi videtur? Pól iste atque etiam málificus,
Séd tace atque hanc rém gere.

non est autem haec scriptura ab ipso Plauto profecta. sic enim si sumimus poetam dedisse, duobus tantum modis verba coniungi possunt; ni mirum aut ‚audin furcifer? satin — videtur?' — id quod sensu omnino caret, quoniam non est cur Calidorus Pseudulum appellet furciferum — aut sic ‚audin? furcifer satin — videtur?' — id quod vel ob collocationem improbandum. atque demptis illis verbis ab usu Plautino recedimus, ex quo *audin* vel *viden* non proferri solet sine *quae loquitur, quid ait,* al. locutionibus[1]). simillimus locus est *Most.* v. 1172: ‚viden ut astat furcifer?' delevit igitur Ambrosianae recensionis auctor." iam vide, utrum perperam nimiae doctrinae et audaciae correctorem mihi finxerim, an non temere illi talia tribui possint, qualia eum fortasse conatum esse dixi de *Truc.* 225—227 disputans.

Transeo ad versum *Cas.* II 1, 15, de quo iam Studemundus[2]) recte iudicavit. Palatini enim cum sic exhibeant:

Séd foris concrépuit atque ea ípsa eccam egreditúr foras,

Ambrosianae recensionis auctor verba *ea* et *foras* delevit, ut ad normam versuum antecedentium creticum tetrametrum efficeret:

Séd foris cóncrepuit átque ipsa eccam égreditur.

quae versus discriptio, si verba sola spectas, Palatinorum memoriam non aequat; sed accedit aliud. Fridericus enim Leo in

---

[1]) cf. Becker *de synt. interr. obl.* (in Studemundi *Studiis* I) p. 271 sq.

[2]) *Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen* XVIII p. 553.

Mus. Rhen. vol. XXXVIII p. 10 certissima emendatione pro *ea ipsa* (sic P) vel *ipsa* (sic A) scripsit *eapse.* haec vero vox cum bacchiaco Ambrosiani metro non coit. quis igitur dubitaverit de Ambrosiani fraude?

Cistell. II 1, 42 Palatinorum versus

Anne ut etiam quid consultura sis sciam MEL. Perge eloqui

quo, modo deleveris *ut,* quin manus poetae repraesentetur non dubium est, ab Ambrosianae recensionis auctore in senarium contractus est, *ut* et *sciam* deletis, *sis* metri gratia in *es* mutato, personae mutatione sublata:

Anne étiam quid consúltura es perge éloqui.

in absurda quae inde evadit sententia si quis casum potius quam consilium agnoscendum esse colligat, suam sibi habeat opinionem: ego certe versum a correctore subornatum esse veri similius habebo, quam ut ex quadruplici librariorum errore mero casu senarium evasisse credam.

Hi fere sunt loci, quibus Ambrosiani corrector metricus audacioribus verborum mutationibus versuum genera mutavit; nolui enim eo progredi, ut eos quoque locos afferrem, quibus aut metra incerta aut discrepantiae recensionum tam exiguae sunt, ut de correctorum metricorum industria merito dubites.

Palatinos eiusmodi retractatione, qualem in A demonstravimus, in iis saltem partibus, quibus comparatio cum Ambrosiano institui potest, paene omnino liberos esse confirmare posse mihi videor; nam ubi fere ab Ambrosiani recta versuum distributione Palatini distant, satis constat eam potissimum rationem valere, ut librarii sive codicis archetypi sive ipsorum Palatinorum aut versuum fines neglexerint aut ob spatii rationem duos versus in unum contraxerint. ut genus versuum in P mutatum sit, duobus locis videtur factum esse, qui tamen cum consilio metri constituendi incredibilem correctoris imprudentiam ostendunt, nequaquam comparandam illam cum doctrina eius, qui Ambrosianam recensionem confecit.

Epid. 21 Ambrosianus proximis versibus convenienter octonarium iambicum exhibet:

Voluptábilem mihi nuntium tuo adventu adportas Thesprio.

versus finem in archetypo Palatinorum mutilum infelicissima opera corrector quidam sic restaurare studuit:

Voluptábilem mihi nuntium tuo ádventu adtulísti.

Nec plus profecit *Stich.* 314. 315

A: Hoc postremumst: vae vobis.
Ibo atque hunc compellabo.
P: Hoc póstremum est vóbis.
Ibo átque hunc compéllo.

etenim postquam priore versu *vae* ante *vobis* excidit, inde corrector metri insequentis versus mutandi ansam cepit, minime ille curans neque temporum intolerabilem inconcinnitatem neque insequentium versuum metrum.

§ 2.

In Ambrosiano mensurae syllabarum Plautinae aetatis propriae ad normas prosodiacas recentioris aetatis mutatae sunt *Stich.* 64

P: Nón homines habitáre mecum míhi hĭc videntur, sed sues.

A deleto *hic* mensuram *mihi hĭc* sustulit, id quod Niemeyerus quoque (p. 26) concedit, cum novissimus editor Goetzius Ambrosiano se addicere maluerit.

Mil. glor. 1138

A: Neminem video nisi hunc, quem volumus conventum.
et ego vos.
P: Neminem pol video nisi hunc, quem e. q. s.

Ritschelius quod *hunc* utriusque recensionis testimoniis firmatum removit, Plauto vim intulit, quippe ex cuius usu dicendi pronomen demonstrativum requiratur. Ribbeckius Ambrosianum sequitur, non quia mensuram *nísi hunc* minus usitatam existimet, quam quae admitti possit (admisit enim *quía hănc* v. 472, *égo hănc* v. 1008), sed sola auctoritate Ambrosiani confisus. attamen ut *pol* affirmationi Milphidippae aptissimum est, ita apparet, qua ratione in A deletum sit; correptionem enim vocis *hunc* vitiosam habuit, qui archetypum Ambrosiani recensuit. corrigendi autem consilium ut statuam, eo potissimum adducor, quod alterum eiusdem correctionis exemplum extat *Poen.* 1366

Fiát. sequere intro patrue mi, út hŭnc festum diem
Habeamus hilare[m].[1])

sic P, cum in A *hunc* omittatur. quem ne quis sequendum ducat, haec affero exempla: *Epid.* 157 ‚ut hunc hodie diem luculente habeamus' *Stich.* 453 ‚ne ego hunc lacero diem' 421 ‚nunc hunc diem unum volo me eleutheria agere' 424 ‚sumas tibi In hunc diem'. est autem hic locus pro certissimo documento correpti

---

[1]) cf. Hasper *de Poen. Plaut. dupl. exitu* p. 15.

pronominis *hunc*, cuius ex Muelleri prosodia p. 319 haec alia exempla cito: *Amph.* 917 ,vél hunc rogato Sosiam' *Epid.* 680 ,quíd hunc sollicitas' *Truc.* 620 ,nisi hunc a te abigo' (Schoell *ni*).

Stich. 597 Quid foras? foras hercle vero. qui malum tibi lasso lubet
Foris cenare?

ita P; de Ambrosiano diversa testimonia Loewii extare videntur; qui cum in *Anal. Plaut.* p. 183 haec dicat: ,v. 597 *tibi* a palimpsesto abest; neque tamen, quode cogitaverit quispiam, praefigitur versui qui sequitur', in editione Goetzius versum ut supra scripsi exhibens adnotat: ,sic A nisi quod *quid malum* et *libet*', ubi casu omissum puto *tibi* in A non extare. deletae autem vocis *tibi* eam fuisse causam, quod *qui malŭm tibi* corrector vitaturus erat, nemo non videt.

Poen. 874 in P sic legitur:

Verum enim qui homo eum norit

Ambrosiani corrector, ut *enĭm* vitaret, scripsit *verum qui e. q. s.*

Persa 341 P: Utrŭm tú pro ancilla me habes
A: Utrúm pro ancilla me habes

Ambrosianum Palatinis cedere etiam Niemeyer p. 26 consentit.

Trin. 1078 P: quo tu té agis? quonam nisi domum?
A: quonam tú te agis? quonam nisi domum?

Ambrosiani corrector metricus cum versum elisa voce *te* legeret, imperitus is mensurae *té agis*, metro consulere studuit arcessito ex proxime insequentibus *quonam*; cf. quae de *Stich.* 509 infra disputabuntur. ceterum hic versus bis recensionem expertus esse videtur; scilicet in fine paginae Ambrosiani Studemundus legit *quonam cen-*, quod recte eum interpretari *quonam censes nisi domum* prorsus certum est. nescio autem an corrector voluerit ,Eamus intro. quonam tu te agis? quonam censes nisi domum?'

Miror quod viri docti Palatinorum memoriam omnino spreverunt *Merc.* 534

A: quom habét rem técum
P: cum técum rém habet.

quo loco collocationem verborum in altera recensione prorsus inversam casui vel incuriae librariorum vix tribuendam esse facile concedetur. in pari vero utriusque scripturae bonitate hoc inprimis videndum est, in qua recensione ratio et consilium corrigendi dispici possit. et animadvertendum est ordinem Palatinorum defendi versu antecedenti, in quo si verba *mecum rem*

pro Plautinis habentur, quae est mea sententia, etiam Lysimachus, ut fieri solet in verborum incredibilium mirabunda repetitione, eundem verborum ordinem servasse credendus est; sin vero ab interpolatore profecta sunt, eum consentaneum est in v. 534 legisse *tecum rem* et ad eorum exemplar eodem vocum ordine scripsisse *mecum rem*; itaque in archetypo, ex quo Ambrosianus et Palatini fluxerunt, extitisse ‚tecum rem habet' paene certum est. porro ut Palatinis nos applicemus, suadet mensura Plautina *rém habet.* cuius auferendae causa Ambrosiani corrector ‚quom habet rem tecum' substituit.

Pseud. 890. P: Em illíc ego habito
A: Illic ego habito

ne prior syllaba vocis *illic* corriperetur.

Neque tamen his locis allatis toti huic quaestioni satisfit, sed sat multa eiusdem correctionis generis exempla supersunt, quae quidem ex libelli consilio in proximam paragraphum reservavi. cf. *Merc.* 260. *Trin.* 328. *Pseud.* 85. 315. *Mil. glor.* 686. *Stich.* 451.

§ 3.

Cum in hac paragrapho eos locos examinaturus sim, quorum in A correctiones neque ob metricas neque ob prosodiacas rationes institutae sunt, sed poetae animus plerumque a sciolis grammaticis prave intellectus causam mutandi praebuit, initium capiamus a tribus locis, quorum diligentissimam enarrationem, cum haec dissertatio iam paene confecta esset, publici iuris fecit Eduardus Leidolph in *commentationum philologicarum Jenensium* volumine altero (Lipsiae 1883) p. 199—250. qui in dissertatione *de Festi et Pauli locis Plautinis* egregie cognovit ad historiam contextus quem vocant Plautinarum fabularum illustrandam et ad utriusque earum recensionis originem aetatem pretium recte aestimanda inprimis adhibendos esse hos locos: *Epid.* 620 *Mil. glor.* 1180 *Truc.* 271.

Epid. 620 Sed quis haec est muliercula et ille gravastellus qui venit?

‚gravastellus' B et J, ubi tamen superscriptum est ‚ał graius cellus'; ‚ravistellus' A. ex Festi verbis p. 273 M. haec tantum supersunt: ‚appellantur .... ravo sub con .... quod genus hominum .... sed quis haec est .... venit'. quae suppleri aliquomodo possunt ex Pauli epitoma p. 272 M.: ‚ravi coloris appellantur, qui sunt inter flavos et caesios, quos Plautus appellat

ravistellos: „quis", inquit, „haec est mulier et ille ravistellus qui venit."' denique apud Paulum p. 96 haec extant: ,gravastellus, senior. Plautus: „qui est gravastellus qui advenit", ut puto gravastellus a gravitate dictus.' vides igitur apud ipsum Festum eandem scripturae diversitatem extare, quae inter Ambrosianum et Palatinos intercedit. *ravistellum* autem neque eum esse posse, qui ravi coloris est, neque eum, qui ravim i. e. raucam vocem habet, Leidolphus recte monuit (p. 212). itaque cum haec scriptura ferri nequeat, ad alteram vocem *gravastellus* nos convertamus necesse est; cuius originem ac significationem a Verrio Flacco Festi auctore perperam explicatam Loewii acumen perspexit. Placidi enim glossam, quam Deuerling p. 49, 16 sic edidit: ,gravastellas, graves id est annis (*anni* libri)' praeclarissime sic emendavit vir sagacissimus: ,gravastella, γραῦς id est anus' (*Praef. Epid.* XXIV). ac scite addidit Leidolphus *gravastellus* derivandum esse a voce *gravaster*, quae ad eandem radicem atque vox graeca γραῦς redeat. neque quod ad rationem interpolationis in A factae attinet, cum Leidolpho mihi non convenit. etenim cum quid vox *gravastellus* sibi vellet, grammaticus nesciret, verborum *ravus* vel *ravis* memor et vocabulum inde derivatum subesse suspicatus *ravistellus* sibi finxit; eius autem interpretationem ne Verrius quidem sprevit.

Prorsus consimili modo Palatinorum memoriam antea non intellectam ideoque spretam ab omni suspicione vindicavit Buechelerus in *Mil. glor.* v. 1180

Id conexum in umero laevo, e x f a f i l l a t o bracchio.

sic P; Paulus p. 83: ,Effafilatum, exertum, quod scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, id est extra vestimentum filo contextum.' A praebet *exp—llato*, ,ut inter p et l spatium quattuor vel quinque litterarum sit.' quae scriptura, quamquam corruptela depravatam fuisse ex spatio litterarum deperditarum colligere licet, quin ad *expapillato* redeat, alter Pauli locus facit ut dubitari nequeat; exhibet enim is p. 79: ,Expapillato brachio, exerto, quod quom fit, papilla nudatur'; ad eandem autem recensionem spectat Nonius p. 103: ,expapillato brachio, quasi usque ad papillam renudato. Plautus Mil. glor. „id conexum in umero laevo, expapillato brachio."' Ambrosiani scripturam a Ritschelio quoque receptam ut reiciamus, id potissimum efficit, quod metri gratia tertia verbi *expapillare* syllaba corripiatur necesse est. nam quod Muellerus (Pros. Plaut. p. 264) significationem huius vocis quam

Nonius profert ,quasi usque ad papillam renudato' ineptam dicit, exemplo Aristophanio (*Eccl.* 267) allato Leidolphus redarguit. egregie autem Palatinorum memoriam defendit Buechelerus, qui ad vocem *exfafillato* explicandam docte adhibuit tabulae Iguvinae verbum *su-faf-ias*, derivatum ab eadem radice *faf*, quae ,notionem ligaturae, originem fortasse πείσμασιν et offendicibus proximam habet'. quocirca ,exfafillato brachio' vertendum est ,brachio extra amictus vincula prolato'. novum autem huic voci testimonium accedit ex Plac. *gloss.* p. 41, 16 D., exfabillavero, exeruero'. vide, quantum Palatinorum testimonium praestet Ambrosiani memoriae non librariorum stultitia depravatae, sed grammatici cuiusdam mala sedulitate natae, qui cum *exfafillato* non intellegeret, sententiae et apicum quantum poterat ratione habita *expapillato* effinxit.

Truc. 271

A: Quia tibi suaso infecisti propudiosa pallulam
An eo bella's?

,resuasu' P; Festus p. 302^b 12: ,Suasum colos appellatur qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus: „Quia tibi suaso infecisti propudiosa pallulam." quidam autem legunt insuaso. nec desunt qui dicant omnem colorem qui fiat inficiendo suasum vocari, quod quasi persuadetur in alium ex albo transire.' Paul. p. 111, 9: ,Insuasum appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio.' Philoxenus p. 122, 2: ,insuasum: εἶδος δοκαρίων κεκαπνισμένων'. post haec exempla omnes credo concessuros esse Palatinorum scriptura *resuasu* non tertiam quandam recensionem repraesentari; immo *resuaso* ex *insuaso* corruptum esse ut putemus, metro quoque adducimur. itaque tertium locum habemus, quo duplicem scripturam apud Festum servatam codices quoque Plautini exhibent. quaerentes autem, utra scriptura vera sit, verbo *insuasum* praeter Pauli locum firmum praesidium paratum esse videmus Philoxeni interpretatione graeca, cui si accedunt codices Palatini, quos ad eandem scripturam redire cognovimus, minime probabile est, quod nonnulli viri docti indicaverunt, hanc vocem errori tantum librariorum deberi. recte enim Leidolphus exposuit eam cum alliteratione, tum quod altera forma *suasum* grammaticorum operam oleat (videbatur enim a voce suadendi derivari posse) pariter commendari. ex falsa autem etymologia Ambrosiani illud *suasum* natum esse Festi verba evincunt.[1])

[1]) His tribus locis Leidolphus duos addit, quibus duplex scriptura apud

Iam quoniam Festi epitoma ex Verri Flacci opere excerpta est, ex iis, quae Leidolphum secuti exposuimus, consequitur, iam Verri Flacci tempore Plautinarum comoediarum exemplaria in duas recensiones discessisse easdem, quae hodie Ambrosiano palimpsesto et Palatinis codicibus repraesentantur. quae res a Leidolpho primum diserte exposita comprobatur Plautinis locis apud Nonium servatis, cui qui haec suppeditaverunt auctores eo tempore vixerunt, quo grammatici latini cum Ambrosiana tum Palatina recensione utebantur.

Sed ut ad rem redeamus: vidimus his omnibus locis, quorum in duabus recensionibus diversa scriptura certe ad Verri Flacci tempora refertur, Palatinam recensionem veram lectionem exhibere, contra Ambrosianum iam tum operam grammaticorum expertum esse, qui verbis antiquis sua aetate iam non intellectis de suo ingenio alia substituebant.

Quam correctionem etiam latius iam tum patuisse cum nemo, nisi qui sana ratione destitutus sit, negare possit, paullulum retractanda erit opinio eorum, qui ex vetustate Ambrosiano summam praestantiam vindicandam et eius auctoritate locis dubiis litem diiudicandam esse dixerunt (cf. e. g. Niemeyerus p. 10 sq.). namque irritam esse rationem antiquitatis apparet, si iam vetustis temporibus Ambrosianam recensionem haud mediocriter a grammaticis deformatam fuisse videmus.

Atque quae de tempore, quo recensiones illae institutae sint, Leidolphus disseruit, iis ut incertis nunc quidem omissis eam sententiam, quam de auctoritate et pretio Ambrosiani supra protulimus, exemplis illustrare pergimus.

Trin. 252 in enumeratione servorum servarumque recensiones ita discrepant, ut A *vestispica* (eiusque recensionem secutus Nonius p. 12, 18 *vestispici*), P *vestiplice* tradant. atque voce *vestispica* Nonius usos esse narrat Afranium et Varronem; neque quod sciam praeterea in litteris invenitur. vocis *vestiplica* haec extant testimonia: Quintil. *declam.* 363. C. I. L. VI 9901. IX 3318. *vestiplicus* legitur C. I. L. VI 9981. 7301. *vestispica* C. I. L. VI 9912. porro extat glossa: ,vestiplica, femina, quae vestes

---

Festum extat. quorum alter versum Cistellariae exhibens (Paul. p. 52) in nostris codicibus omnino deest, alter (*Aulul.* 555) simillimus est locis supra tractatis. habent enim P et Paul. p. 28 *oculeus*, Fest. p. 178 *oculatum*, unde Leidolphus iure concludere videtur, in A quoque, in quo aetatem hic locus non tulit, fuisse *oculatum*.

plicent'. ut versu Trinummi 252 Ambrosiani scripturam reiciam, adducor *Mil. glor.* v. 693, ubi *plicatricem* Studemundus ex A restituit. artem autem vestium eleganter plicandarum mulieribus graecis inprimis curae fuisse et a propriis servis exercitam esse notum est.

Pseud. 153. A: Hoc videas: alias res agunt.
P: Hoc vide sis ut alias res agunt.

Palatinos ad Plauti genus dicendi multo propius accedere quam Ambrosianum Loewius (*Anal. Plaut.* p. 163) demonstravit; qui genuinum ordinem verborum ,hoc sis vide ut' multis exemplis comprobatum certa emendatione restituens simul perspexit *videas* in A a correctore metrico substitutum esse, cuius mutationis causa in propatulo est. in archetypo enim Ambrosiani et Palatinorum iam eadem verborum collocatio extabat, quae in P aetatem tulit; unde, ut metro pessumdato consuleret, corrector ille deleto *sis* et *ut* fecit ,videas alias res agunt'.

Trin. 186

A: Hasce mihi propter res malas famas ferunt
P: Hascine me propter res maledictas famas ferunt.

Ambrosiani versum correctori deberi tribus causis arguitur. praebet enim versus exitum ,malas famas ferunt', qualem Plautus sedulo vitat; *malas* pro *maledicas* (hoc enim latere in *maledictas* dudum perspectum est) foede interpolatum, *hasce* subditum est pro *hascine*. in Palatinis archetypus religiose expressus est; quos si sequimur, versui facile medela comparatur; turbas enim movisse videtur interpolatio verbi *mihi*, quod in Palatina recensione primum in *mi*, tum in *me* abiisse putandum est. quo eiecto (neque enim ferri potest ,famas alicui ferre') versus ab omni parte integer evadit. Ritschelius eumque secutus Niemeyerus p. 46 Ambrosiani memoriam ,aut errore aut e correctione metrica' ortam esse censent. verum enimvero, si errore tam graves mutationes sine metri detrimento effici poterant, inter casum et consilium umquam cum quadam probabilitate confidentiave discerni posse omnino nego.

Trin. 452

A: Cum vestra nostra non est aequa factio
P: Cum vestris nostra non est aequa factio

Studemundus in Mus. Rhen. XXI p. 607 de hoc loco disputans Palatinorum scripturam *cum vestris* ita defendit, ut aut ,mit den zu Eurer Familie gehörigen Mitgliedern' aut *cum vestris rebus* explicet;

Ambrosiani autem correctorem *vestra* ideo intulisse suspicatur, ut eadem concinnitas, quae extet v. 467 ‚vostras cum nostris factiones' evadat. neque id immerito; ut enim Palatinorum scriptura firmatur *Aul.* v. 221 ‚Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me inrideas' ita *vestra* in A consulto scriptum esse illud potissimum demonstrat, quod consimili modo P retractati sunt *Stich.* 255.

Trin. 328

P: Béne volo égo ĭlli fácere, si tu nón nevis. LYS. nĕmpe dé tuo?

A: Bene volo illi facere, nisi tu non vis. LYS. nempe de tuo?

ubi haec adnotat Niemeyer p. 46: ‚In A coniectura est.' videmus in locum priscae elocutionis ‚si tu non nevis' immigrasse tritiorem ‚nisi tu non vis'; neque id semel factum est. idem enim perpoliendae orationis studium cernitur *Trin.* 361

P: qui vult qui nevult

A: quae volt quae non volt

et 364 *nemulta* P, quod haud cunctanter recipio, *non multa* A. Trinummi autem v. 328 voculae *nempe* correptionem non in causa corrigendi fuisse Ritschelio alia sane ac falsa ratiocinatione ducto concesserim (*Prol.* LXVI = *Op.* V 325). sed animadvertendum est etiam illud recensionis genus, quod in altera huius capitis paragrapho tractavimus, hic observari, cum *égo ĭlli* sublatum sit in A remoto *ego.*

Trin. 747

P: Nam hercle omnia istaec veniunt in mentem mihi;

A: Eadem omnia istaec veniunt in mentem mihi

‚multo id deterius' Ritschelius in adnotatione.

Trin. 748—750

A: 748 ME. Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas
749 Ipsum adeam Lesbonicum, edoceam, ut res se habet.
750 Sed nunc ego adulescenti thensaurum indicem
751 Indomito, pleno amoris ac lasciviae?

P: 748 ME. Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas
749 Ut adeam Lesbonicum, edoceam, ut res se habet.
750 Sed ut ego nunc adulescenti e. q. s.

Qui locus quoniam emendationem adhuc expectat, longiore disputatione erit illustrandus. cum versus 748 efflagitet enuntiatum, quo consilium Megaronidis exponatur, versu autem 750 iam Callicles verba faciat, editores alii aliter medium versum ita

mutare studuerunt, ut Megaronidi assignari possit; velut Bothius et Ritschelius scripserunt ‚Ipsum adeas Lesbonicum, edoctum ut res se habet.‘ in quo omnes frustra fuerunt praeter Ribbeckium, qui partem veri perspiciens coniecit ‚Ipsum adeas Lesbonicum — CALL. edoceam ut res se habet? Ut ego nunc‘ e. q. s.; sed ne is quidem rem perfecit, quod sine ullo sententiarum discrimine diversae interrogationum formae evadunt *edoceam, ut ego indicem.* at quomodo loco consulendum sit, ex integra codicum memoria facile intellegitur: versum enim 749, ut in codicibus extat, Callicli reddendum esse prorsus certum est. quid igitur? nonne apparet inter v. 748 et 749 intercidisse versum, quo consilium illud Megaronidis aperiebatur, cuiusque sententiam atque adeo verba prima cum v. 749 initio conspirasse fere necessarium est credere? attamen quaestio nondum absoluta est. etenim ut cum A hanc loci restitutionem accipiamus:

748 ME. Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas
748[a] * * * * * *
749 CALL. Ipsum adeam Lesbonicum, edoceam ut res se habet,
750 [Sed] Ut ego nunc adulescenti e. q. s.,

id ipsum relinquitur, quod contra Ribbeckium diximus, cum similitudine sententiarum pugnare diversas interrogationum formas, quarum duae priores per solum coniunctivum, tertia per coniunctionem exprimitur. versui autem 750 ne finalem sententiam tribuamus, satis cavent verba *ut ego* interrogationi tantummodo apta. itaque cum *ipsum* illud stare nequeat, Palatinis potius ducibus *ut* restituere necessarium erit. atque sic si statuimus, luce clarius est *ipsum* ex recensione natum esse; sed restat altera illius discrepantiae interpretatio non minus probabilis, qua accepta non licet Palatinorum praestantiam hoc quidem versu laudare. namque si mecum memineris locorum, quos de *Pseud.* v. 138—140 disputans p. 10 iam attuli,

Pseud. 140 A: Hoc eorum officiumst: mavelis
P: Hoc est eorum opus, ut mavelis
Stich. 299 A: Sic hoc videtur mihi magis convenire: advorsum veniat
P: advorsum ut veniat
Stich. 594 A: unum hoc potest: ubi convivae abierint, tum ut venias
P: tum venias

Mil. glor. 1275 B: quid volt me facere ista? ‖ Ad sed eas,
CD ad se u t eas,

nonne in proclivi est conicere, hanc quoque discrepantiam sic expediendam esse, ut illud *ipsum* vel *ut* frustulum sit deperditi versus 748 a, qui in altera recensione coniunctione *ut* superiori versui subiunctus, in altera a versu 748 graviore interpunctione distinctus fuerit, ad hunc fere modum:

P: ME.: Vide si hoc utibile magis atque in rem deputas,
Ut [adeas adulescentem et rem omnem ei creduas.
CALL. Ut ego] adeam Lesbonicum e. q. s.
A: . . . . deputas:
Ipsum adeas adulescentem e. q. s.

si hanc sententiam amplectimur, utra scriptura retinenda sit diiudicari non posset, nisi ex insequenti versu aliquid lucraremur. sine dubio enim versum 750 Ambrosiani corrector attigit, et is quidem non sententiae, sed metri solummodo restituendi cupidus. in P enim cum interpolatione sic legitur: ‚Sed ut ego nunc adulescenti thensaurum indicem?'. *sed*, quod initio orationis fortasse haberet quo defenderetur, post v. 749 Callicli vindicatum ut ineptum removendum est[1]), quo facto in P integer versus evadit Plauto ab omni parte dignus. quid vero A? servato *sed*, deleto *ut*, transposito *ego nunc* metrum sane correctum, sententia pessumdata est. quoniam autem initio versuum 747 et 750 grammatici industria Ambrosianum interpolatum esse vidimus, non absonum puto in medio quoque versu (748 a) maiorem fidem ei recensioni habere, quae quam accurate hoc quidem loco ex archetypo descripta sit versu 750 inprimis demonstratur. accedit quod Palatinis favet locus simillimus *Mil. gl.* 237: ‚Núnc s i c rationem incipissam, h a n c instituam astutiam ‖ U t — dicam.'

Pseud. 1187 Simo et Ballio senes Harpagem caculam, quem scilicet a Pseudulo sui defraudandi causa suppositum putant, ludificantes, quanti ornatum militarem a chorago conduxerit, interrogant. atque inde a v. 1186 Palatinorum haec est scriptura:

quid mercedis petasus hodie domino demeret?
HARP. Quoi domino? quid socii (= socci)? quid somniatis?
mea quidem haec habeo omnia.

---

[1]) Brixius tria exempla vocis *sed* perperam illatae citat: *Trin.* 595 *Pseud.* 992 *Mil. glor.* 205. addo *Mil. glor.* 398 *Stich.* 394 *Cas.* 619 Gepp. *Mil. glor.* 574 (?).

Ex metro versus 1187 turbato Ritschelius conclusit, duorum versuum reliquias in unum coaluisse ad hunc modum:

HARP. Quoi domino? SI. quid sócci * * * * * *
* * quid somniatis? mea e. q. s.

in A vero cum verbis *quid socci* omissis (id quod Ritschelius nesciit) metrum sanum sit, inquirendum erit, utrum consilio haec verba in A expulsa an in P interpolata sint. atqui tale additamentum interpolatoribus in mentem venisse per se vix credendum est; neque quisquam Plauti peritus Palatinorum interpolationem inde arguet, quod Pseudulus versu 735 chlamydem tantum, machaeram, petasum requirat. ut enim talis neglegentia, si qua est, in Plauto creberrime invenitur, ita soccorum commemorationi optima defensio parata est, quod revera caculas proprio soccorum genere usos esse scimus ex *Trin.* v. 720 ‚quid ego nunc agam, nisi ut . . . . fulmentas iubeam suppingi soccis? . . . video caculam militarem me futurum e. q. s.' denique ne hoc quidem neglegendum est, inter *quoi domino*, quibus verbis ad antecedentem interrogationem satis responsi datur, et *quid somniatis* novo ludibrio locum prorsus aptum esse, quoniam in hac lepida altercatione senum convicia et caculae mirabundas interrogationes quasi praecipites se excipere videmus. itaque mihi quidem sic statuendum videtur: archetypi Palatinorum et Ambrosiani scriba post verba *quid socci* in sequentem versum aberravit; quo cum versus iusto longior, qualem P religiose servaverunt, existeret, Ambrosiani corrector metro eodem modo consuluit, quo in codice Lipsiensi F et in editione principe factum est, delens videlicet *quid socci*.

Pseud. 189 de frumentariis dicitur

Quibus cunctis montes maxumi acervi frumenti sunt domi.

apparet, opinor, *acervi* essé merum glossema ad *montes maxumi*, quod postquam proxime ab his verbis in versum invasit, verbum genuinum, quodcumque fuit, expulit.[1]) cum vero P hunc ordinem verborum servaverint, Ambrosiani corrector vocabulorum *acervi* et *frumenti* loca mutavit, ut versum efficeret:

Quibus cúnctis montes máxumi frumenti acervi súnt domi.

Buggius [2]), ut *acervi* servaret, proposuit:

---

[1]) Neque enim probo Ritschelii aliorumque coniecturas, qui non inter *maxumi* et *frumenti* sed aliis locis versum explere studuerunt.

[2]) cf. Lorenzius *Philol.* XXVIII 357 sq.

Quibus quanti montes maxumi, frumenti acervi sunt domi. sed neque via ac ratione hanc coniecturam fecit et hac comparatione montium cum acervis frumenti inducta mirum quantum vim ac vigorem sententiae infregit. cf. etiam *Mil. glor.* 1065 ,Argenti montes, non massas habet' *Most.* 352 ,maeroris montem maximum'.

Truc. 245

A: Qui de thensauris integris demum oggerunt

P: Qui de thensauris integris demus danunt.

Ex mira Niemeyeri de hoc loco disputatione hoc tantum affero verbum *oggerunt* esse ,multo significantius quam verbum dandi, in quod correctorem incidisse non mirum sit'; quasi non etiam facilius corrector Ambrosiani *oggerunt* ex v. 103 (*oggerit*) vel 112 (*accerimus* A *aggerimus* P) depromere potuerit, quod indicat Schoellius; quod vero formam antiquam haud cunctanter interpolatori tribuit, hoc noli mirari in Niemeyero, qui ex *Truc.* vv. 246 et 249 didicisse se ait (p. 51) Palatinae recensionis auctorem etiam obsoleta forma usum esse, ut probum versum efficeret. porro quod *demus* formam perantiquam (cf. Paul. p. 70,8) casu in *demum* abiisse contendit, facile ei largiremur, nisi haec mutatio hoc loco fieri deberet, ut omnino versus stare possit. graviores autem dubitationes moverunt Brixius Fleckeisenus Langenus; quoniam enim voci *demum* apud Plautum quidem unica significatio *erst* assignanda est, hanc vocem omnino damnant et ad coniecturas confugiunt: Fleckeisenus assentiente Langeno (*Beiträge* p. 305) scribens ,demunt danunt', Brixius *dona* vel *dempta* commendans; quorum dubitationes neque ego redarguere possum nec refutavit Schoellius ascito *Bacch.* v. 270 sq. ,damnatus demum vi coactus reddidit', quo loco vereor ut quicquam probet.[1]) attamen sive haec vox interpolata est sive genuina (neque enim ego locum coniectura tentare ausim), hoc mihi quidem constat, quoniam in archetypo utriusque recensionis fuisse *demus* vix dubium est, cum eum, qui *oggerunt* interpolavit, metri gratia *demus* in *demum* mutasse, tum verbi *danunt* originem Plautinam eo confirmari, quod iuxta verbum *oggerunt* prisca forma *demus* servari non potest. videtur autem

---

[1]) Baehrensio (Fleck. *Ann.* 1882 p. 478) ,qui de integris thensauris denuo oggerunt' scribenti vitium metricum subrepsit; cf. Luchs *Quaest. metr.* (Studem. *stud.* I) p. 7.

in Ambrosiano idem corrector grassatus esse, qui versus proximos (246—251) audacissime retractavit.

Truc. 231

P: Ne[c] umquam quisquam probus erit amator nisi qui rei inimicust suae

A: Ne[q.] úmquam erít probus quísquam amátor, nísi qui rei ínimicúst suae

P praestant Ambrosiano collocatione verborum cum simpliciore tum aptiore, quippe qua *probus*, ut par est, intendatur. attamen cum versus ambitum excedat, aut aliquid resecandum aut transpositio instituenda est. alteram viam ingressi sunt et Muellerus et Schoellius, qui *amator* ex vv. 229. 236 (et fortasse 239) petitum esse censens *nisi si* scripsit; transpositionem vero adhibuit Ambrosianae recensionis auctor ideo non ferendam, quod *probus* in thesi delitescit.[1])

Truc. 363

P: PHRON. Velim, si fieri possit. DIN. cedo soleas mihi

A: PHRON. Vellem, si fieri posset. DIN. cedo soleas puer.

Ac primum quidem in A notanda est mutatio temporum ad posterioris aetatis usum dicendi accommodata, cuius plura exempla infra colligentur. Niemeyerus autem de hac diversitate nihil disputans de fine versus falso iudicat ita p. 39: ‚Aptissime Diniarchus puerum vocare videtur, qui soleas, quas in lecto accumbens deposuerat, afferat atque ex v. 34a (386) apparet in Phronesii conclavi servos adesse.‘ egregie is errat, quod colloquium inter Diniarchum Phronesiumque in huius conclavi haberi putat. primus enim huius scaenae versus Diniarchum ante portam Phronesium expectare indicat; in colloquio autem eos prae domo restitisse docet v. 386, quo servi servaeve, qui Phronesium prosecuti initio scaenae e domo prodierant, intro ire id est domum intrare eiusque ostium operire iubentur, et v. 433, ubi Phronesium intro remeat, Diniarchus ante portam loqui pergit. Diniarchi autem verba *soleas cedo* (sic enim emendandum est; codd. *cedo soleas*), *properate, auferte mensam* et paulo post *deme soleas, cedo bibam* meras nugas esse neminem fugit. am agitur de versus exitu constituendo. ac Muellerus quidem (Pros. Plaut. Add. p. 139) evicit Plautum sola vocativi forma

[1]) Videtur autem corrector et hunc versum et fortasse antecedentem pro iambicis octonariis habuisse, cum *neque umquam* intactum reliquerit.

puere uti; quod argumentum, quo Ambrosiani scriptura evertitur, futtilissimis verbis Niemeyerus impugnat: Plautum cum iam senex Truculentum scripsisset et apud Caecilium Terentium Afranium et *puer* et *puere* vocativi usu venirent, etiam breviore forma uti potuisse. citat igitur testes Terentium et Afranium Plauto posteriores et Caecilium, quem ‚male locutum esse' Cicero (*Brut.* 258) testatur. illa autem ratio si quid valet, licebit interrogare, num fortasse Plautus in Pseudulo, quam et ipsam senex scripsit, breviore forma usus sit. at frustra hanc formam quaeres *Pseud.* v. 170. 241. 242. 249, quamquam v. 241 poeta sine metri detrimento eam inferre potuit. quam facile autem grammaticus, ut versum in fine mutilum expleret, in serv cuiusdam mentionem incidere potuerit, ex ipsis Diniarchi verbis satis elucet.

Truc. 378

P: Iam lauta's? i a m pol mihi quidem

A: Iam lauta's? l a u t a mihi quidem.

de quo cum ita disserat Niemeyer p. 10: ‚Ut versum, qui omissa voce *lauta* post *lauta es* corruerat, sanaret, correctori versus 28 (379) „Non pol mihi quidem" usui fuit. p r a e c l a r u m s a n e e s t e x e m p l u m !', in luce caligare mavult vir doctus, quam facetiam huius sermonis quamvis apertam intellegere. Phronesium, quae lavando nimium tempus consumpserat, illudens Diniarchus interrogat ‚i a m l a u t a e s ?'; cui Phronesium dedita opera acumen horum verborum perplexim interpretata respondet ‚iam pol m i h i quidem . . . num t i b i sordere videor?' ridicule iam nunc Diniarchus eius verba imitatus ‚non pol', inquit, ‚mihi quidem'. quae lepidissima cavillatio pessumdatur languida repetitione verbi *lauta*, quod A praebet ab interpolatore ex antecedentibus desumptum.

Cas. I 49

P: Sine a m a b o t e[d] a m a r i, meus festus dies

A: Sine v e r o a m a r i t e, meus festus dies.

Vocem *vero*, quam solus quod sciam Geppertus defendit, prae Palatinorum memoria non uno nomine spernendam iam Ritschelius (*Neue plautin. Excurse* p. 36 adn. 2) damnavit. accedit, quod corrector Ambrosiani voce *te* transposita Plauto versus exitum obtrusit *meús festús diés* eodem vitio, quo *Trin.* 186 a *malás famás ferúnt* non abhorruit.

Pseud. 377

A[1]): Hoc officium meumst; mihi operae si sit, plus tecum loquar

P: Hoc meumst officium; ego operae si sit, plus tecum loquar

Niemeyer p. 20 parum diligenter iudicat: „in A verum est; nam *ego* in P nimis graviter praeponitur, cum *mihi* aptissimum sit. quaeritur igitur, cur *ego* scriptum sit. atqui erunt fortasse qui hoc exemplo ita abutantur, ut post omissum pronomen *mihi* et post transposita verba *officium meumst* hiatus gratia ab illo fastidioso grammatico *ego* insertum esse dicant. sed nisi diversitatem casui tribuere mavis, hic potius versus, opinor, corrigendus erat

Hoc officium meumst ⌣ operae si sit, plus tecum loquar

et verba *officium meumst* postea demum transposita sunt." itaque *ego* nimis graviter praeponi contendit, quod in thesi collocatum ultima syllaba elisa fere evanescit! porro si personae notio efferenda non est, cur *mihi* praeposito non sollicitatur vir doctus? neque hoc animadvertit Plautum in elocutionibus velut *operae est, otium est,* sim. dativum personae fere saepius omittere quam addere. cf. *Truc.* 871 ,Otium ubi erit, de istis rebus amplius tecum loquar' *Merc.* 917. 377. *Mil. glor.* 252. 764. *Aul.* 320. 771. *Capt.* 183. *Ep.* 423. 556. *Cas.* III 2, 14. *Poen.* 858. *Rud.* 429. utra igitur recensio verum servaverit quoniam ex hac discrepantia cognosci non potest, de initio versus quaeramus, quo Niemeyerus Palatinorum memoriam ne examinare quidem dignatus est. nos vero eam pro vera habemus, cum verborum ordo *hoc meumst officium* prorsus apte ad persuadendum defendatur v. 379, ubi A falso eandem atque v. 377 verborum collocationem praebet *haec sententia meast,* quod contra Palatinos *haec meast sententia* recte servasse metrum evincit. lectione autem *hoc meumst officium* ut genuina ex P restituta ut etiam altero eiusdem versus loco ex duabus aeque bonis lectionibus eam, quam P praebent, eligamus, ratio postulat. in A turbas movisse videtur vocula *ego* aut casu aut, quod verbis *operae si sit* intermissis quo referenda esset minus bene intellexit corrector, omissa; pro qua cum *mihi* insertum esset, consectaria fuit verborum *meumst officium* collocatio inversa.

[1]) cf. Studemund ap. Muellerum *Add.* p. 61 adn.

Pseud. 315

A: Di meliora faxint. PS. Face, quod te rogamus, Ballio.
P: Di melius faciant. PS. Face hoc, quod te rogamus Ballio.

de quo versu audias Niemeyerum p. 13: ,ubi *melius* substitutum est, grammaticum metri gratia *hoc* inseruisse in promptu est'. in quibus indicandi confidentiam non minus quam inscitiam sermonis Plautini mireris. pronomen enim *hoc* tantum abest, ut a grammatico insertum sit, ut ex consuetudine dicendi Plautina omitti omnino non potuerit, id quod non effugit Fleckeisenum, qui *hoc* scite servavit. cf. *Men.* 914 ,dic mihi hoc, quod te rogo'. *Most.* 748 ,hoc mihi responde, quod rogo'; item *Merc.* 185. 214. *Men.* 1070 ,quid ego ex te audio? || hoc, quod res est'. *Pseud.* 340 ,dic mihi verum serio hoc, quod te rogo'; porro cf. *Pseud.* 1179. 1191. *Bacch.* 720. *Most.* 450. *Mil. glor.* 426. *Truc.* 273. unus quod sciam repugnat Rud. 124 ,dic, quod te rogo'; v. enim *Asin.* 29

Dic obsecro hercle serio, quod te rogem

non uno nomine suspectus est. etenim cum in sententia relativa omnia quae attuli exempla modum indicativum habeant, hic coniunctivus legitur, quem Muellerus (*add.* p. 141) contra Seyffertum (*Philol.* XXIX p. 390) disputans suo iure negavit stare posse. itaque duplici macula locus iste adspersus videtur. quae cum ita sint, Niemeyeri argumentatio omnino corruit. nos vero versum ad normam Plautinae consuetudinis examinare pergimus. atque hoc quidem concedendum est versum Ambrosiani prae Palatinis rhythmi elegantia longe eminere, qua non miror viros doctos ita allectos esse, ut de scripturae veritate nemo dubitaverit. attamen certissime affirmo praeter hunc locum nullum in Plautinis comoediis extare, ubi *di meliora faxint* dictum sit. *di melius faciant* sive *faxint* legitur *Merc.* 285 (etiam in A). *Cas.* IV 3, 14. *Bacch.* 626 [1]); maximi vero est momenti *di meliora faxint* solummodo inveniri in scaena *Poenuli* subditicia (v. 1400), quam saeculo septimo urbis conditae Hasper assignat; unde nescio an ad tempus, quo versum *Pseud.* 315 corrector mutaverit, definiendum aliquid redundet; namque etsi hanc mutationem ab eodem, qui scaenam illam Poenuli concepit, factam esse non

[1]) Hoc loco sane metro turbato Fleckeisenus subvenit proponens ,di meliora faxint'; sed mihi quidem Studemundus (*Zeitschr.f.d.Gymn.-Wes.* XVIII p. 548) rectius versum sic distinxisse videtur:

Mnesíloche, quid fit? | Périi.
Di mélius faciant. || Périi.

ausim contendere, tamen eam quoque ad eandem fere aetatem, saeculum septimum dico, redire non est cur negemus, si quidem iam ante Verri Flacci aetatem Ambrosianam recensionem confectam fuisse concedendum est. sed ne quis ex forma *faxint* maiorem praestantiam Ambrosiano vindicet, conferantur *Aul.* 788. 789 'ita di faxint inquito. | ita di faciant. | et mihi ita di faciant. *Merc.* 285 di melius faxint. ‖ di hoc quidem faciant. quae formae cum inter se facile commutari potuerint, in v. *Pseuduli* facili coniectura recipimus *faxint*, ut duo anapaesti *melius faciant* tollantur. itaque cum *meliora* valde suspectum sit, *melius* autem duobus locis integerrimis legatur[1]), *hoc*, quo carere non possumus, in A deletum sit, scilicet ut mensura *fáce hŏc quod* corrigeretur, gravis suspicio oritur elegantiam Ambrosiani deberi correctoris temeritati, quod contra Palatinorum memoria, quae Ambrosiani splendore obscurata hucusque et spreta iacuit, accurate inquirentibus nobis ut sincera et legitima probata est.

Pseud. 390—392. Pseudulus ad insidias Ballioni struendas a Calidoro ut callidum et fidelem amicum auxilio vocet petit. cuius responsum in codicibus ita circumfertur:

A: Pauci ex multis sunt amici homini certe[2]) qui sient
|Ego scio istuc: ergo utrumque tibi nunc delectum para
Ex multis atque exquire ex illis amicis unum qui certust cedo

P: Pauci ex multis sunt amici homini qui certi sient
‖Ego scio istuc: ergo utrimque tibi nunc dilectum para
Ex multis exquire illis unum qui certus siet.

hos versus, quos fatendum est hoc loco v. 389 ,propera, adduce hominem cito' a v. 393 ,iam hic faxo aderit' male dirimere, Lorenzius damnavit, Ladewigius autem (*Philol.* XVII p. 457) post v. 386 potius revocandos esse demonstravit eiusque argumentationem Niemeyerus certissima observatione ita munivit, ut contradici nequeat. monuit enim tertio versui in A agglutinatam esse vocem *cedo*; quae quid sibi vellet cum nemodum intellexisset, ipse vidit scribam archetypi, qui versus suo loco omiserat, post v. 391 eos adiecisse, vocula autem *cedo* adscripta lectoribus indicasse, hos versus iam sequi oportere versum 387: ,Cedo

---

[1]) Accedit tertius Ter. *Phorm.* 1005 *di melius duint.*

[2]) Studemundus in Fleck. *ann.* 93, 61.

mihi quid es facturus'?[1]) sed interpretibus summa difficultas exorta est versu altero, in quo ex voce *utrumque* aptam sententiam elici non posse viri docti paene uno ore questi sunt. neque quicquam profecit Niemeyerus p. 14, qui idoneam sententiam expiscatus esse sibi videtur sic disserens: ‚scilicet certis amicis incerti cogitatione opponuntur, quorum utrorumque delectus suadetur'. sed vide, num haec sententiarum consecutio ullo modo possit probari: ‚CAL. Ex multis amicis pauci certi sunt. PSEUD. quocirca certos amicos ab incertis distinguas atque ex illis multis (quibus verbis certos et incertos amicos comprehendi consentaneum est) unum eligas.' quemnam ad finem censebimus amicorum in duas partes divisionem omnino suaderi, si nihilo setius iam proximo versu ex cunctis, certis et incertis, unum eligere Calidorus iubetur? poterat autem Niemeyerus iam ex Gepperti disputatione discere propter *utrumque delectum para* verbum *multis* adeo non posse ferri, ut contraria vox *paucis* (nam ex paucis fidelibus unus eligendus erat) ponenda esset; sed Geppertus in eo falsus est, quod *multis* eiecto, *amicis* servato versui medelam allaturus erat; nam *ex multis* altera recensione defendi Niemeyero consentio neque tam facile addi potuisse, quam *amicis* ex v. 390. postquam igitur Niemeyeri sententiam logicis, ut verbo utar, rationibus ducti reiecimus, aliam viam ipsi ingrediemur. etenim cum neque versus 391 iusta interpretatio inveniri queat et versus 392 nullam illius rationem habeat, contra cum v. 390 aptissime coniunctus sit, quid est cur de illo v. 391 eiciendo dubitemus? neque enim ei, qui tale additamentum interpolatoribus tribuere non audeat, scrupulum evellere non possum altero loco sat memorabili allato. cum enim *Trin.* 91 sq. versuum

> Sunt quos scio esse amicos, sunt quos suspicor,
> Sed tu ex amicis mi es certissumus

concinna brevitas loquaci cuidam lectori non satisfaceret, tertium is amicorum genus excogitans haec de suo ingenio addidit:

> Sunt quorum ingenia atque animos nequeo noscere.

versu 391 eiecto de versu 392 integrum iudicium datur; qui teste Gepperto (*stud.* II p. 59) in A sic traditus est:

---

[1]) Num iure Niemeyerus post v. 386 lacunam statuerit aut Ladewigius v. 384—386 eiecerit. huius loci non est exponere.

Ex multis atque exquire [ex][1]) illis amicis unum qui certust cedo.
quam lectionem sive cum Ritschelio puta redire ad hanc formam

Atque exquaere ex illis multis unum, qui certus siet

sive cum Niemeyero ad hanc

Atque exquire ex multis illis unum, qui certus siet

post nostram disputationem constat versu 391 eiecto *atque* nullo modo ferri posse; quam vocem in P non scriptam apparet in A ab auctore recensionis, ut v. 392 cum antecedenti 391 subditicio coniungeretur, interpolatam esse; quocirca non licet, in quod facile quispiam inciderit, hac scriptura Ambrosiani adhibita edere *atqui exquaere,* sed concedamus necesse est versum mancum nobis traditum esse, cuius emendatio prorsus nulla Ambrosiani ratione habita instituenda est, velut ad hoc exemplum: ‚At tu exquaere ex illis' c. q. s; cf. *Pseud.* 32. *Merc.* 137. *Pers.* 242. 288. iam ad versus finem properamus. qui cum in A legatur *unum qui certust cedo*, in P *unum quì certus siet*, correctorem metricum in A manifesto tenemus; qui cum non intellegeret, quem ad finem *cedo* illud in archetypo adscriptum esset, hanc vocem versui inserere studuit metro ita consulens, ut *certust* pro *certus siet* substitueret. Niemeyerus vero non solum hanc Ambrosiani recensionem non agnovit, sed etiam Palatinos fraudis incusat. qui cum Ambrosiani corruptelam *certust* silentio premat, Palatinorum scripturam tacite recipit, simul tamen questus, in P duo indicia certissima, quibus verum assequi possimus, prorsus evanuisse. sane *cedo* in P evanuit, sed qui tandem recensioni tribui potest omissio verbi, quod ab ipso versu prorsus alienum est et margini olim adscriptum facile scribae oculos fugere poterat? *atque* vero, quod in A tantum extat, cur non possit pro genuina poetae scriptura haberi, modo exposui. itaque eius rationibus nullo modo labefactatur quod demonstravi, in A correctorem sensui subvenisse addita voce *atque,* metri vero gratia scripsisse *certust* pro *certus siet.* utroque loco Palatini cum fide archetypi scripturam repraesentant.

Stich. 451

P: E a i b o óbsonatum, eadem referam obsonium

A: I b o obsonatum a t q u e eadem referam obsonium.

[1]) *Ex* in A Geppertus non legit, sed spatium duarum litterarum ex coniectura ita explevit.

Ambrosianus duplicem recensionem expertus est: *ea* propter mensuram *ea ibo ósonatum* eiectum, et hiatus sententia et pronuntiandi pausa excusatus sublatus est inserto *atque*, quod immerito placuisse Niemeyero et Goetzio demonstrant *Stich.* v. 437

Iam hercle égo per· hortum ad amícam transibó meam
Mi hanc óccupatum nóctem: eadem súmbolam
Dabo ét iubebo e. q. s.

Pers. 444. 445

abi istac ad forum: Eadem facito mulier transeat e. q. s.[1]) simile exemplum est *Merc.* 309, ubi non cum Ritschelio Goetzioque A sequendum arbitror:

A: Vel ut scias me amare, cape cultrum ac seca
Digitum
P: Vel ut scias me amare, cape cultrum, seca
Digitum.

ac a grammatico facile inseri potuit, qua ratione deletum sit, vix quisquam inveniat; convenit autem orationi vividiori quam maxime omissa coniunctio.

Poen. 695

Edepol ne tibi illud possum festivom dare,
Si quidem potes pati esse te in lepido loco,
In lecto lepide strato lepidam mulierem
Complexum contrectare.

sic P; A autem male habet *strato, et lepidam mulierem.*

His autem tribus locis ab omnibus adhuc editoribus Palatinorum scriptura spreta est, quasi asyndetis grammatici gavisi sint potius, quam eorum tollendorum fuerint studiosi; ac paene mireris, viros doctos *Merc.* 397

Lignum caedat, pensum faciat, aedis vorrat, vapulet

recte Palatinorum scripturam praetulisse Nonii testimonio *vorrat ac vapulet.*

Truc. 259

A: Salve. ‖ sat mihi est[2]) tuae salutis: nil moror: sat salveo.
P: Salve. ‖ satis mihi est tuae salutis: nil moror: non salveo?

priusquam de loci correctione quaestionem instituamus, opus erit virorum doctorum coniecturas huic versui illatas recensere.

---

[1]) In Ambrosiani usum cave vertas *Stich.* 154: *propera atque actutum redi* A, *propera actutum redi* P; hoc enim loco *atque* ante *actutum* interceptum est.

[2]) Schoellius *praef. Truc.* p. XIII adn.

atque Schoellius quidem (*praef.* p. XL) circumspiciens, ubi Stratulacis nomen in scaenarum titulis tantum servatum in ipsis versibus restituere posset, id facillime fieri putavit hoc versu, quo tradita verba *mihi est tuae* nullo modo ferri possent. ,nam quod nolit Astaphii „salute“ sanior esse, non habet eius salutis satis, sed omnino salutis; unde patet non aliter atque in *Asinariae* versu 911 servum dixisse *sat salutist*, ac *mihi est tuae* verba, in quibus BCD cum A consentiunt, ex versu insequenti interpolata esse.‘ sed Schoellius hoc loco non recte intellexit elocutionem cotidiani sermonis, qualis ne a nostra quidem lingua aliena est; etenim verba *sat mihi tuae salutist* vertenda sunt: *hör auf mit deinem salve*; ac felici casu evenit, ut meam interpretationem altero loco ita munire possim, ut nulla dubitatio relinquatur. *Stichi* enim v. 91

Osculum. ‖ sat est osculi mihi vestri

cave vertas: *hört auf mich zu küssen*; nam *osculi vestri* pro *osculorum vestrorum* ferri non posse manifestum est; sed cum antea Panegyris vel, quod ego maluerim, ambae sorores *osculum* dixerint, respondet senex: *hört mir auf mit Eurem ,osculum‘*. en habes eundem pronominis usum vulgari sermoni proprium, quem Truculenti versu ego statui. itaque codicum memoria vindicata non est, cur cum Schoellio verba *mihi est tuae* pro interpolatis habeamus. eis, quae adhuc disputavi, simul refutata sunt, quae Fridericum Leonem (*Mus. Rh.* XXXVIII p. 1 sq.) moverunt, ut verba sic distingueret:

Salve. ‖ sat mihi: tuae salutis nil moror: sat salveo.

contra quem etiam hoc facit, quod Plautus *nil moror* nisi cum accusativo substantivi non coniungit; et ipsum *salutem nil moror* legitur *Rud.* 852. restat, ut Palatinorum scripturae, quam in fine versus praebent, a Schoellio adiuti patrocinemur contra Niemeyerum et Leonem, quorum hic voci *non* locum non esse sequentis versus cum isto conexum docere dixit sane, sed non demonstravit, ille sic disputat: ,sententia evertitur negatione *non salveo*: egregia autem est Ambrosiani scriptura, quae ita videtur depravata esse, ut *sat* ante *salveo* exciderit. quo factum est, ut grammaticus coniectura sat inepta illam, quam adumbravimus, sententiam efficeret.‘ quem optime refutavit Schoellius *praef.* p. XLI, verbo *non* interrogativam inesse vim monens. ut autem perspicuum est, interpolatorem *sat* multo facilius ex antecedentibus arcessere potuisse, quam *non* de suo conicere, ita patet causa, qua in A

corrector voculam *non* sustulit; ignoravit enim, eam apud Plautum idem valere atque *nonne*, eandemque inscitiam prodidit altero loco, ad cuius enarrationem iam transeo.

Pseud. 889

CD: Molestus ne sis: nimium tinnis: non places.

B: Molestus ne sis: nimium tinnis: non taces.

codicis veteris memoria adhuc neglecta, ut depravata scilicet, ad meritam dignitatem perducta est, postquam in A Loewius legit:

Molestus ne sis: nimium i a m t i n n i s: t a c e.

Loewius autem perperam iudicat: ,turbas videtur movisse, quod post *nimium* interciderat vocula *iam.*' contra verum est quod pergit: ,quamquam potest etiam de diversa recensione cogitari in hunc modum: *nimium tinnis*; *non taces?*'. grammaticus enim cum *non taces* pro interrogatione accipiendum esse non magis intellegeret, quam *Truc.* 259, *non* deleto *iam* addidit, quod in huius versus sententiis brevissimis et praecisis languidissimum est et Palatinorum scripturae longe cedit. tanta autem inter hunc versum et *Truc.* 259 intercedit similitudo, ut vix dubitari possit, quin utroque loco ab uno eodemque correctore mutatio profecta sit. tertius accedit versus *Pseud.* 1317, ubi P recte *non audes?* servarunt, Ambrosiani corrector *nonne audes?* novavit, eodem prorsus consilio ductus quo supra.[1])

Simili autem modo corrigendi qui Ambrosianum retractavit usus est *Pseud.* 24; ubi cum Palatini praebeant *ludis me ludo tuo*, Ambrosianus exhibet *ludis i a m ludo tuo,* quod quomodo Loewio imponere potuerit, non intellego; est enim *iam* prorsus otiosum.

Magni momenti ad correctoris industriam aestimandam sunt vv. *Pseud.* 433 et 451. in prioris versus, ut in A est, forma

Sed si sint ea vera ut nunc mos est maxime tibi renuntiant

Loewius (*Anal. Pl.* p. 167) duplicem exitum latere vidit, alterum genuinum et cum P concinentem *ut nunc mos est maxime,* alterum *ut nunc tibi renuntiant.* hunc cum Loewius ex v. 420 (*hoc alii mihi renuntiant*) vel 430 (*quae tibi renuntiantur*) arcessitum esse censeat, rem acu non tetigit; est enim, ut iam Ussingius vidit, desumptus ex v. 451:

Sintne illa necne sint, quae tibi r e n u n t i a n t.

---

[1]) *Stich.* 606, ubi Ritschelius ex A enotat *nonne scis*, cum P bene *non tu scis* habeant, in A quoque sic extare Studemundus cognovit; cf. Becker *de synt. int. obl.* p. 287 adn. *Cas.* IV 4, 25 A(g) *nonne liceat tangere,* P *non,* nec quicquam praeterea. at Ambrosiani scriptura incerta est.

gravissimum vero est, quod non solum e v. 451 in v. 433 verba translata sunt, sed invicem e v. 433 in v. 451, cuius haec memoria est:

A: Sintne illa vera necne quae tibi renuntiant.

P: Sint illa necne sint, quae tibi renuntiant.

verbum *vera* ex 433 interpolatum et *sint* eiectum quia ad eundem retractatorem referenda esse apparet, qui versus 433 alteram formam constituit, tantum non certum est, eum etiam versus 451 novam formam editurum fuisse tale quid molitum:

Sintne ílla vera, quaé tibi renúntiant

sive

Sintne illa vera necne quae renuntiant.

ut illam potius ad auctorem recensionis referam, eo adducor, quod cum *sint* deleverit, proclivis est coniectura, eum etiam verbum *necne*, a quo *sint* dependeat, aut expungere voluisse aut re vera expunxisse, id quod facile ab eo, qui codicem tum descripsit, neglegi potuit. utut res se habet, de recensione in A facta dubitari non posse v. 433 docet.[1]) nihilo setius initio versus viri docti cum A scripserunt *sintne illa necne sint* spreta Palatinorum scriptura *sint illa necne sint*; at haec recipienda est, quod ratione totum versum ex P exprimere iubemur, postquam in A recensionem statuimus, ne quid dicam de rariore interrogationis forma in P tradita, quam a grammatico invectam esse veri est dissimillimum. discimus autem ex hoc loco auctorem recensionis grammaticae non obiter fabulas dum legeret correxisse, sed etiam versus comparasse et alios versus ad aliorum emendationem adhibuisse.

Stich. 393

A: Vidistin virum sororis Pamphilum? ‖ Non. ‖ Non adest?

P: Vidistin virum sororis Pamphilippum? Non adest?

notum est Ritschelium hoc inprimis versu nisum in Stichi editione ubique nomen *Pamphilus* pro eo, quod alioquin in codicibus, etiam in A, traditur *Pamphilippus*, violenter substituisse. quod cum vix cuiquam probaverit, nuper verbum *Pamphilippus*

---

[1]) In P quoque locos inveniri, quibus duplicem codices repraesentant lectionem, consentaneum est, ac nominare sufficit *Trin.* 1188. ceterum hoc duplicis recensionis genus longe latius patet, quam adhuc a viris doctis cognitum est.

diserte defendit A. Spengelius[1]), nec non Goetzius in novissima Stichi editione ubique hanc formam Plauto reddidit. atque postquam Niemeyerus p. 46 iam demonstravit, quomodo Palatinorum scriptura defendi possit, sano iudicio Spengelius, quemadmodum Ambrosiani versus natus sit, exposuit. etenim qui Ambrosianum recensuit, *non* pro responso esse voluit: quo facto cum sententia pessumdata esset, altero *non* addito et verbis inter colloquentes apte distributis sensui subvenit, metri vero gratia *Pamphilus* invenit, Terentii ut videtur memor, qui hoc nomine uti solet.

Stich. 624

P: Quid igitur? ‖ dixi equidem in carcerem ires.

Loewius *Anal. Plaut.* p. 184: ,est ille locus (in A) talis: DIXTṠEQUIDEM, ubi *dixti* vides factum ex *dixis*, *s* littera lineola (quae num altius pertineat, obtectio facit ut discerni nequeat) deleta, *i* (non *t*) supra posita, *i* ante *s* in *t* mutata.' unde apparet scribae pro *dixti*, quod in archetypo erat[2]), in mentem venisse vulgarem formam *dixisti*, errore autem statim animadverso eum litteras iam scriptas *dixis* in scribendo correxisse in *dixti*. quam scripturam sane miram casu ortam esse non facile persuadeas, consilium autem si subesse concesseris, Ambrosiani recensionem vix negare poteris redire ad

Quid igitur dixti? ‖ equidem in carcerem ires.

cum vero constet in P verum esse, quanam ratione auctorem recensionis Ambrosianae ad illam mutationem ductum esse credemus? quam si eum ideo fecisse dixero, ut interrogationi ellipticae, quam vocamus, *quid igitur?* verbum asc isceret, fortasse hariolari me censebis; sed consenseris, opinor, si ex eodem consilio alterius loci recensionem repetendam esse demonstravero.

---

[1]) *Acta acad. Monac.* 1883 p. 265 sq.

[2]) Video praecavendum esse, ne quis in archetypo Ambrosiani rectum fuisse, mutationem autem illam solius scribae sive audaciae sive stultitiae deberi dicat. quotienscumque enim ab ipso scriba correctiones factae sunt, id tantum ille egit, ut verbis vel litteris, quas incuria perverse scripserat, emendatis id restitueret, quod in archetypo legerat; numquam vero coniecturas de suo ingenio intulit. neque minus is, qui ipsum palimpsestum cum codice, ex quo descriptus erat, comparavit, accurate id tantum, quod in illo fonte extabat, restituere voluit. cf. Loewius *Anal. Plaut.* ad *Trin.* 176. 181. 183 (p. 142). 1050 (p. 148); a quo distinguendus est indoctus quidam corrector, de quo Loewius disputat p. 180. de *Truc.* 181 Schoellium non recte iudicasse mihi persuasum est.

Most. 793

P: Quid nunc? ‖ vise, specta, tuo [usque] arbitratu

Ar: Quid nunc vis? ‖ visas . . . . . tuo usq. arbitratu.

vides in A interrogationi *quid nunc?* eodem modo, quo *Stich.* 624, verbum additum esse. nam ne meram dittographiam potius (*vis visas*) statuamus, impedimur spatio in A post *vis* relicto, quo illud *vis* a *visas* secernendum et Theuropidi tribuendum esse ostenditur. ne vero praeter Geppertum quis defensor elocutionis *quid nunc vis?* existat, vix verendum est. nam Theuropides v. 682 ipse Tranionem ad Simonem ablegaverat rogatum, num domum invisere sibi liceret. qui cum reversus v. 786 haec dixerit:

Quod me misseras, adfero omne impetratum

nullo pacto Theuropides interrogare potest *quid nunc vis?*, sed unice aptum est *quid nunc? (Nun, wie steht's?)*. conferas velim

Curc. 549: Quid nunc? ‖ quod mandasti, feci.

Pseud. 321: Quid nunc vis? ‖ ut opperiare hos sex dies.

sed, ut de correctore disputare pergamus, non satis habuit ille sententiam hoc modo mutare, sed metro quoque voce *vis* addita corrupto consulere non omisit. ex *vise specta* enim bacchium fecit *visas specta*[1]); cf. *Pseud.* 153 *vide* P, *videas* A. duobus igitur locis hunc versum corrector mutavit, si videlicet Ritschelius scripturam Ambrosiani recte indagavit. a quo non mediocriter discedit Geppertus, qui haec in A esse dicit (*stud.* II p. 72): ‚quid nunc vis age aspecta' (spatio post *age* relicto), ut haec potius recensionis forma verbis inter colloquentes recte distributis evadat:

Quid núnc vis? Age ăspécta tuo úsque arbitrátu,

pro quo Geppertus mavult *age specta.* de Geppertiana lectione licebit dubitare, non quo meam argumentationem evertat, sed quia Gepperti lectiones Ambrosianae non eandem atque Ritschelii Studemundi Loewii auctoritatem et fidem habent. sed sit haec recta summaque fide digna, quid iudicandum erit? *quid nunc vis* a Gepperto sine ulla dubitatione receptum cum ex nostra disputatione neutiquam servari neque tamen errore natum esse credi possit, ne sic quidem correctori non tribuendum est; *age* vero, nisi in Gepperti animo potius quam in A extat, ex versu insequenti desumptum est. longe autem vel huic Geppertianae lec-

---

[1]) Cum Ritschelius *visas* . . . . . ex A enotet, *visaspecta* videtur scriptum fuisse; cf. Gepperti testimonium *age aspecta.* spatiis computatis certum est, *specta* non in *spectes* correctorem mutavisse.

tioni praestat Palatinorum memoria, probata illa ex omni parte, nisi quod *usque* in ea deest, quod metro postulante ex A recipiendum est.

Stich. 73

A: Neq. equidem is[1]) factura neq. te ut facias consilium dabo

P: Neque ego factura sum neque tu ut facias consilium dabo.

Ritschelius eumque secutus Goetzius ex utraque recensione versum

Néque ego id sum factúra neque tu ut fácias consilium dabo

composuerunt, perperam ut opinor; qui si in comparationem vocassent v. 82, ubi in simillima sententia eadem codicum diversitas extat:

A: Fáciant. quid mihi opust decurso aetatis spatio cum meis
Gerere bellum, quom nil, quam ob rem id faciam, meruisse arbitror;

P: ‚quam ob rem faciam', facile cognovissent vocem *id* non casu in P excidisse; grammaticum autem eam consulto removisse vix ac ne vix quidem credi potest, cum ea vocula in A addita magistelli cuiusdam operam sane oleat; sententia enim minime requiritur. Niemeyerus p. 17 Ritschelium quidem laudat, quod *ego* ex P receperit, sed ut Ambrosiani quoque scripturae operam suam praestaret, excogitavit hunc bellum versiculum:

Néque equidem ego id factúra, neque tu ut fácias consiliúm dabo.

miratur enim, quis *equidem*, in quo nuda demonstrativa notio insit, illi pronomini *ego* substituerit. attamen constat *equidem* apud veteres grammaticos sane non omnes idem valuisse atque *ego quidem;* cui errori auctorem quoque Ambrosianae recensionis indulsisse cur negemus? an Niemeyerus hanc vocem tam raro usu venisse putat, ut ab interpolatore addi non potuerit? ne commemorem *Bacch.* v. 974, ubi dudum, ut elegantior metri forma evadat, *equidem* deletum est, sufficit citare versum *Pers.* 639, ubi cum A *atque . . . . et*, id est *atque me miseret,* P *atque equidem miseret* praebeant, aut Ambrosiani recensio aut Palatinorum interpolatio statuenda est. sed totius disputationis cardo in ea quaestione vertitur, utrum verbum substantivum *sum* omitti possit necne. at Niemeyero persuasit Ussingius, qui ad *Amph.* v. 590 et 56 magnam sane exemplorum molem, sed eam indigestam, collegit, minime id curans, quod ante omnia absolvendum erat,

---

[1]) In quo latere *id* apertum est.

ut singula omissi verbi genera distingueret. quam enim excusationem verbo substantivo omisso paratam videmus in interrogationibus, exclamationibus, proverbiis, brevibus quibusdam sententiis, eandem minime ad quaslibet sententias pertinere periti sciunt. omnia autem exempla ab Ussingio allata cum huic libello non conveniat recensere, ea quae omissi verbi substantivi primae personae testimonia protulit, in examen vocemus. ac primum quidem exclamatio statuenda est *Amph.* 56[1]); *Merc.* 919; *Mil. glor.* 370; *Trin.* 826 [,a commotione animi excusationem habet' Ritschelius *Prol.* CXII (364)]. *Asin.* 271 et *Curc.* 354 verbum in sententiis secundariis omittitur. eadem de causa *Men.* v. 119 cum loco de quo agimus externa tantum similitudo intercedit. *Asin.* 856 si Plautus re vera verbum omisit, ab exclamatione excusationem habet; sed fortasse Goetzius Loewiusque iure verbum coniectura restituerunt; quo magis mirandum est, quod *Amph.* 964, ubi talis excusatio non valet, iidem ediderunt:

Án id ioco dixísti? equidem [hercle] sério ac veró ratus,

quamquam faciliore coniectura scribere licebat ,equidem [sum] serio ac vero ratus.' unum vero exemplum, quod consilio fortasse Ussingius omisit, Niemeyerus confidenter adhibuit, *Trin.* 209, qui versus num Plautinus sit non a Ritschelio tantum addubitatur. ut breviter dicam, quibus locis verbum substantivum primae personae in codicibus omissum est, ii aut peculiarem naturam habent et excusationem, aut incerta sunt, ut pro testimoniis esse omnino nequeant; exemplum vero ab omni parte loco quem supra enarravi simile nullum inventum est. cui rationi si accedit, quod altera recensio verbum servavit, Niemeyerum incautius Ambrosiani auctoritati se addixisse cognoscimus, quippe in quo etiam *ego* praeter rationem omissum sit. nos versum ut est in Palatinis (nisi quod *sum* transponendum est) pro vere Plautino habemus, in A recensionem statuimus.

Merc. 274—276

Nec omen illuc mihi nec auspicium placet:
Quasi hircum metuo, ne uxor me[2]) castret mea;
A: Ac metuo ne illaec simiae partis ferat.
P: Atque illius haec nunc simiae partis ferat.

De his versibus, qui virorum doctorum ingenia satis agitaverunt, denuo plenius disputare supersedeo. in meam rem sufficit

[1]) Numeris versuum utor Ritschelianis, ut ubique, non Ussingianis.
[2]) *ne uxor me* P; *ne me uxor* A.

monere, versum Ambrosiani, qui propter *metuo ne* ex v. 275 male repetitum reiciendus est, fluxisse ex eo, quem P praebent. qui etiamsi et ipse ut interpolatus damnandus est, tamen nihil est, cur eum in archetypo utriusque recensionis prorsus eodem modo exaratum fuisse negemus; cf. Niemeyerus p. 43.

Pseud. 397

A: Quoi neque parati est quicquam certi consili

P: Qui neque parata gutta certi consili

Niemeyerus p. 48 glossa Placidi *hilum, quicquam* adhibita hoc loco *quicquam* verbo *gutta* superscriptum fuisse censet. quod cum per se non absonum sit, illud tamen reputandum est, *quicquam consili, aliquid consili,* sim. Plauto sat usitata esse; cf. *quicquam consili Bacch.* 1036, *aliquid consili Epid.* 256, *quid consili Merc.* 346. *Stich.* 632 (in P), al. pari igitur iure a correctore obsoletae elocutioni *gutta consili* putabimus vulgarem non superscriptam, sed substitutam esse. idem etiam probabilius statuerim loco qui sequitur

Merc. 314 A: plane decrepitus senex

P: vetulus decrepitus senex.

Ritschelium Goetziumque Palatinorum memoria spreta Ambrosianum sequi paene piget. uterque enim nos revocat ad v. 291, ubi *vetus decrepitus* extat, quasi veri simile esset, ex vocis *vetus* recordatione interpolatorem *vetulus* huic versui adiecisse, cum contrarium tantum aliquo modo credibile sit. si vero codicum lectiones per se comparamus, fere rationi repugnat, verbo vulgari *plane* subditum esse *vetulus.* nos languidissimum *plane* reicere non dubitamus, Niemeyero (p. 53) adsentientes, qui *vetulus decrepitus* tam Plautinum esse dicit, ut de librarii errore vel fraude aegre cogitet (cf. *Epid.* 666). quod vero idem *plane* partem glossae cuiusdam fuisse ex Verri Flacci et Placidi locis, qui vocem *decrepitus* interpretantur, colligit, nobis non probatur. tollitur enim huius coniecturae fides eo, quod illorum verba a tali interpretatione, qualem exempli gratia Niemeyerus proponit (*plane vetustus* vel simile quid), nimis discedunt; deinde quod partem tantum glossae in versum invasisse et verbum amplioris spatii expulisse debet conicere, non appositum est ad persuadendum. longe simplicius res sic explicatur, ut correctorem verbi *vetulus* pertaesum sit, cuius loco *plane* substituit.

Trin. 743 P: Columén te sístere

A: Incólumem sístere

Niemeyer p. 53: ‚*incolumem* ex spatio interlineari inrepsit; cf. Labbaei et Isidori glossas.‘ sed *te* quoque casu eiectum esse non facile credam; immo videtur metri gratia remotum esse.

Addo ceteros locos, quibus aut glossatoris industria aut recensio, qua verba novicia in locum obsoletorum inferebantur, statuenda est; cf. Niemeyerus p. 54.

Pers. 408 *iniure* P, *periure* A; Niemeyerus (p. 48) citat glossam Verri Flacci *iniurum, periurum,* ad alium locum spectantem.

Pseud. 700 *graphicus* P, *scitus* A, ut Ritschelio videbatur.

Most. 765 *sub diu* P, *sub sole* A, fortasse ex v. 767.

Truc. v. 310 sq. Schoellius sic edidit:

309 non enim illic meretriculis
310 Moeniendis rem coegit, verum parsimonia
311 Duritiaque, quae nunc ad vos clam exportatur, pessumae.
312 Vos eam exestis, exunguimini, exbibitis: e. q. s.

310 *moniendis* P; *munerandis* A ex recensione; neque in sequentibus versibus correctoris mala sedulitas non animadvertitur. Kochius enim in Fleckeiseni *annal.* CV p. 366 demonstravit in P verba *quae — exportatur* et *eam* (quod latet in *em) vos [ex]estis* bene referri ad *rem* (310). quem conexum solvit qui Ambrosiani archetypum recensuit hac scriptura invecta: *quae — exportantur,* et *ea vos estis.*

Epid. 658

A: Sed memento, si quid saeuiuit senex
Suppetias mihi ferre.

P: saeuiunt senes. *saevivit* nihil esse nisi *saevibit* et in *saeuiunt* latere *saeuiuunt* i. e. *saevibunt,* quod metro postulatur, facile concedetur. itaque apparet correctorem Ambrosiani Periphanem tantum, dominum servi et patrem Stratippoclis, respexisse, immemorem illum versus 612 et 613. ‚Periphanem emere lora vidi. ibi aderat una Apoecides . . . . . senserunt, sciunt‘, e. q. s. falso igitur singularem numerum et substantivo et verbo intulit. Luchsius (Studemundi *stud.* I p. 52), qui in universum primus de hoc loco recte iudicavit, *senex* casu ortum esse censet, ut V 1, 10, errore autem gliscente postea *saevibit* scriptum esse. at V 1, 10 = 616 in A *senes* extat Loewio auctore; recensionem autem arguit comparatus cum hoc locus *Truc.* 310—312.

Epid. 517, ubi P habent

Quid núnc? qui in tantis positus sum sententiis, . .
Ei sic data esse verba praesenti palam?

in Ambrosianum altera persona inducta est: ‚qui — positus seis sententieis' (?); num postea etiam *tibi* pro *ei* legatur, nescimus.[1])

Propter incertam Ambrosiani scripturam dubitanter addo *Pseud.* 1006

ita militaris disciplinast, Ballio:
1005 Manu salutem mittunt bene volentibus,
1006 Eadem malam rem mittunt malevolentibus.

sic P; de Ambrosiani scriptura cum v. 1005 nihil constet, ad v. 1006 Ritschelius adnotat: ‚pro *mittunt* in A videtur tantum *mittit* locum habere potuisse.' quod si verum est (tacent enim cum Geppertus tum Loewius), corrector Ambrosiani mentionem Polymachaeroplagidis, qui epistulam, de qua agitur, scripserat, in Plautum intulit, quod contra in P omnes milites eam ‚disciplinam' observare dicuntur.

Commemoratione vix dignus est *Stich.* v. 486

A: Vin ad te ad cenam veniam? ‖ si possit, velim.

possim P quoque exhibent.

Truc. 261

P: At volo scire, quid debetur hic tibi nostrae domi?
A: Sed volo scire, quid debetur hic tibi in nostra domo?

Niemeyerus p. 41 Spengelii adnotationem: ‚ex diversa recensione; alterum habes *Cas.* III 3, 40 (= III 4, 29 Gron. et Gepp.), alterum *Men.* II 3, 13 (= 359 R.)' repetens iudicio abstinet. at *nostrae domi* consuetudine Plautina requiri, Ambrosianam autem recensionem noviciam dicendi rationem ostendere nuperrime demonstravit Guilelmus Abraham in *studiorum Plautinorum ann. phil. suppl.* vol. XIV insertorum p. 196.[2]) initio versus etsi de scriptura vere Plautina iudicium ferre non licet, editoribus certe Palatini sequendi erant, quippe quos in fine versus probassent.

---

[1]) ‚qui in antis positus seis senatuis . . . Tibi seic data esse verba' Leo *Herm.* XVIII p. 583 sq.

[2]) Similes discrepantias atque in *Truc.* v. 261 habes: *Epid.* 171 quae *domi* est P *domost* A; *Pseud.* 211 dynamin *domi* habent P *domo* A; *Stich.* 192 si cenassit *domi* A *domo* P; *Stich.* 523 afueris *domo* A, *a domo* P sine metro; *Trin.* 841 *domi* cupio A *domum* P; *Bacch.* 278 *domum* cupientes P contra consuetudinem Plautinam; *Poen.* 1049 quam habeo *domi* A *domum* P. *Amph.* 187 salvi poteremur *domi* Nonius, *domum* P; cf. Abraham l. c. p. 196. *Aul.* 105 abire *ab domo* P falso; item *Epid.* 681; *Amph.* 637 *domi* pro *domo* P; *Amph.* 409; *Trin.* 382; *Capt.* 911 P *in nostram domum* falso pro *nostram domum.*

Truc. 190

A: Valetne? ‖ immo edepol melius iam fore spero, te ubi videret

P: Valetne? ‖ immo edepol melius iam credo fore, ubi te videbit.

correctorem Ambrosiani perspicuum est *ubi* sententia condicionali (= *si*) accepisse ideoque modum condicionalem coniectura intulisse; *credo* autem antestare Ambrosiani scripturae *spero* non est quod exponam; cf. *Stich.* 144 *probiores, credo, arbitrabunt* AP, *vero* Nonius p. 170, 11.

Epid. 606

A: Si invenio, exitiabilem ego faciam ut hic fiat dies

P: Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.

Goetzius Palatinorum memoriam, quamquam structura verborum inusitatior esset, mutare non ausus est; sed Ambrosiani integritatis defensor extitit Vahlenus in *Hermae* vol. XVII p. 598 sq., qui eius versum sic dimensus

Si ínvenio exitiábilém ego fáciam ut hic fiát dies

Palatinorum correctorem dicit effugere studuisse quod impediti habeat illa quam A praebet structura. quod si verum esset, correctori opera infelicissime cessisset; nam loco structurae haud ita difficilis intellectu, qualis in A est, non potuit profecto intricatiorem inferre ea, quae in P legitur. exemplorum autem, quae ad suam sententiam confirmandam Vahlenus attulit, vim iusto pluris aestimavit. nititur enim cum maxime in *Most.* v. 811, quem in codicibus ita traditum

Te has emisse. non tu vides hunc voltu ut tristi est senex

Vahlenus post alios sic scripsit

Te has emisse. non tu vides hunc voltu ut est (*sive* sit) tristi senex

Beckero (Studem. *stud.* I p. 287) adversatus, qui meo quidem indicio recte emendaverat

Te has emisse. non tu vides hunc, voltu ut sit tristi, senem.

nam exempla, quibus Vahlenus nominativum *senex* tueri studet, Hor. *epod.* 2, 37

Quis non malarum quas amor curas habet
Haec inter obliviscitur?

et Plaut. *Capt.* 179 sq.

Nisi qui meliorem adferet

Quae mi atque amicis placeat condicio magis

prorsus nihil valent, quippe in quibus sententiis correlatio a vera attractione non mediocriter diversa statuenda sit; nec Lucretii locus (IIII 560)

Ergo fit, sonitum ut possis sentire, neque illam
Internoscere verborum sententia quae sit,

quamquam in eo vera attractio agnoscenda est, adhibendus erat, quoniam hoc loco non tam verbum pendentis enuntiati, quam sequens pronomen *quae* antecedentis nominis casum mutavit. in universum *Most.* v. 811 tum tantum cum Epidici versu apte comparari testisque loco citari posset, si de scriptura ,exitiabilem ego faciam hunc ut fiat dies' ageretur. deinde quod Vahlenus pergit: „etenim Plautus, ut quod vulgo dicitur ,faciam ut hic dies exitiabilis fiat' efferre solet ,hunc diem faciam ut fiat exitiabilis' ita nunc inverso ordine maluit ,exitiabilem faciam ut hic fiat dies.' in hac autem collocatione de communi more sermonis Plautini fit, ut nomen pendentis enuntiati normam sequatur": haec eius sententia (neque enim argumentationem dixerim) aliquid valeret, si recensionum testimonia concinerent; sed cum solus Ambrosianus hanc structuram a Plauti sermone alienam praebeat, altera autem recensio legi cuidam sermonis Plautini et ei quidem reconditiori satis faciat, ille in se suspicionem correctionis factae convertat necesse est. quod enim attinet ad attractionem apud verbum faciendi admissam, eius longe plurimis locis ea est ratio, ut subiectum sententiae secundariae in obiectum verbi *facere* mutetur, praedicatum intactum relinquatur; velut *Aul.* 443 ,ego te faciam miserrumus mortalis ut sis' et sic saepius. multo rarius ea structura invenitur, ut sententiae secundariae et subiectum et praedicatum (si substantivo vel adiectivo efficitur) in obiecta verbi *facere* mutentur; velut

Poen. 454 nec potui tamen
Propitiam Venerem facere ut tandem esset mihi

Pers. 760 Inde ego omnis hilaros, lubentis, laetificantis faciam ut fiant

Aul. 797 Quem ego avom feci iam ut esses filiai nuptiis

eamque structuram, quam praeterea non inveni, videmus Palatinos versu Epidici, de quo agimus, exhibere. nusquam autem praedicatum sententiae secundariae ad verbum faciendi attrahitur, cum subiectum intactum relinquatur, id quod Epidici versu correctori Ambrosiani instituit. itaque Ambrosiani scripturam analogia

prorsus carere, accusativum autem *hunc diem* consuetudine sermonis Plautini requiri videmus. quod autem Vahlenus dicit, in ea collocatione verborum fieri solere, ut nomen pendentis enuntiati normam sequatur, respexit illas sententias, quae, quod correlationem, non attractionem, ostendunt, cum Epidici versu comparari nequeunt; a quibus si recedimus, unus superest v. *Most.* 811, qui si omni suspicione liber esset, hoc tantum demonstraret, Plautum potuisse scribere ‚faciam hunc ut fiat dies'; sed collocatio verborum, qualem P praebent, singularis sane neque alibi inventa, egregie defenditur versu Ter. *Andr.* 378

Priusquam tuom ut sese habeat animum ad nuptias perspexerit.

itaque Palatini ab omni parte probandi sunt; neque difficile est intellectu, quo consilio auctor recensionis Ambrosianae mutationem susceperit. Palatinorum enim structura cum audientibus vel legentibus non posset non incommoda videri, corrector intellegendi facilitati ita subvenit, ut verba *hunc diem* a sententia intermedia pendere iuberet, simul pronomine intra enuntiatum transposito.[1])

Minus certum est iudicium de *Cas.* III 6, 18

A: facite cena mihi ut ebria sit

P: facite cenam mihi ut ebria sit,

ubi utramque scripturam a Plauto proficisci potuisse Studemundus[2]) animadvertit. sed quia vix tam scitum correctorem nobis fingemus, ut Plauti consuetudine dicendi diligenter observata attractionem intulerit, cum in contrariam partem in attractione eum offendisse credibile sit, Ambrosiani memoria speciem correctionis factae prae se fert.

Correlationis est genus quoddam, quo substantivum sententia relativa a verbo suo seiunctum casum relativi induit; cuius exempla notissima sunt *Amph.* 1009 ‚Naucratem, quem convenire volui, in navi non erat'; *Men.* 311 ‚Nummum illum, quem mihi politicu's dare, iubeas porculum adferri tibi.'[3]) quam structuram Ambrosiani corrector in versu Pseuduli ita sustulit, ut substantivum verbo accommodaret:

---

[1]) Similem recensionem in P factam habes *Epid.* 235:
Haec vocabula auctiones subigunt ut faciant viros A, viri P.

[2]) *Zeitschr. f. d. Gymn.-Wes.* XVIII p. 556.

[3]) Paetzolt *De lat. pronom. rel. syntaxi prisca* (Vrat. 1873) p. 18 sq. Progr. Waldenburg. 1875 p. VIII sq.

Pseud. 404 P: Viginti minae,

Quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen

‚viginti minas' A, quod ab omnibus editoribus receptum est; sed cf. *Curc.* 296

Tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via
Et datores et factores omnis subdam sub solum.

Huius loci similis est *Truc.* 184

P: Sed istos, qui cum geniis suis belligerant, parcepromi

‚parcepromis' A. Schoellius adnotat: ‚unde patet, ipsum cod. A librarium praeter necessitatem *istos* pronomini formam accommodasse.' sed post ea, quae in adnotatione ad *Stich.* 624 p. 41 disputavimus, Ambrosiani scriptura sic potius explicanda videtur, ut librarius pro *parcepromos*, quod in archetypo suo extabat, verbis antecedentibus perductus *parcepromis* scripserit, errorem autem animadversum extemplo sustulerit. scripturam igitur *parcepromos* ad recensionem redire tantum non certum est.

Truc. 263

P: Inpudens per ridiculum ut rustico suadet stuprum,

quod Schoellius bene correxit in ‚ut per ridiculum'.

A: Inpudens quae per ridiculum rustico suades stuprum

Palatinos si sequimur, Stratulax Astaphium non alloquitur, sed iracundia excitatus ab ea aversus haec verba exclamat; in A grammaticus hanc dictionem e popularium sermone desumptam removit secundam verbi personam substituens; idem *quae* pro *ut* scripsit eadem fortasse ratiocinatione, ut verbo abutar, ductus, qua *Pseud.* 153 pro ‚hoc vide sis, ut alias res agunt' coniecit ‚hoc videas: alias res agunt'.

Truc. 374

A: Plus pollicere, quam abs te posco au[t] postulo
P: Plus pollicere, quam ego a te postulo

Niemeyerus p. 12: ‚videtur *posco aut* ante *postulo* excidisse et deinde grammaticus *ego* metri gratia inseruisse'. quem ‚verba fecisse' de hoc versu Schoellius in comm. ad v. recte iudicat. diligenter autem locum tractavit Abraham in *ann. phil.* suppl. XIV p. 186 sqq., qui in Palatina recensione versum cum corruptela servatum, contra Ambrosiani versum, etsi integritatis speciem prae se ferat, ob duplicem offensionem reiciendum esse recte demonstravit; neque enim *poscere ab aliquo* Plautinum est, neque usquam *poscere* et *postulare* apud Plautum coniuncta inveniuntur.

apparet auctorem recensionis Ambrosianae, ut versum expleret, *posco aut* de suo addidisse; idem cum in *égo ăbs* haereret, *ego*, quod in P servatum sermoni Plautino optime convenit, delevit.

Neque minus graves turbas A versu insequenti passus est.

A: Utinam item a principio rei pepercisses meae
Ut nunc repercis saviis.

P: Utinam a principio rei item parsisses meae
Ut nunc reparcis saviis.

Abraham p. 214 Palatinos ab omni parte probat idque suo iure; nam cum Plautus a verbo parcendi ubique perfectum *parsi* derivet[1]), manifestum est, in A pro antiquiore forma vulgarem illatam esse; non igitur rationi convenienter Spengelius et Schoellius in adulterina forma latere *repersisses* putantes scripserunt

Utinam a principio rei repersisses meae.

praeterea quod verbum repercendi insequenti versu repetitur, me quidem iudice coniecturae fidem non tam confirmat, quam infringit. hoc autem in medio relinquendum est, utrum correctorem forma *pepercisses* illata voculam *item* metri gratia transposuisse putemus, ut hic ei versus tribuendus sit:

Utinam ítem ă principio reí pepercissés meae

— quod ideo parum probabilitatis habet, quod versu antecedenti in *ego ăbs* offendisse correctorem diximus — an inepti cuiusdam grammatici manu turbas natas esse credamus.

Transimus ad versum inprimis memorabilem, ubi primo obtutu vix quisquam Ambrosiani praestantiam non laudet, acriter vero intuentibus Palatini unice probantur. *Epid.* 165 Ambrosianus, qui Goetzio quoque imposuit, haec habet:

Ne hinc foras exambulet neve obviam veniat seni.

de quo audiamus Langenum p. 205 ita disputantem: ‚Die Composita von ambulare, welche bei Plautus vorkommen, bezeichnen nicht die Bewegung von einem Orte weg zu einem andern hin, sondern nur eine Bewegung innerhalb eines Raumes ‚auf und abgehen.' itaque hoc loco verbo exambulandi significatio a Plauto aliena imponitur; accedit aliud; pergit enim Langenus: ‚hinc kann unmöglich richtig sein. Epidicus spricht die Worte vor dem Hause, er will den jungen Mann warnen, nicht aus dem Hause auf die Strasse zu kommen, also muss es nothwendig *huc foras* heissen d. h. er soll nicht dahin kommen, wo Epidicus sich selbst augenblicklich be-

[1]) Unus repugnat v. *Aul.* 381, ubi Abraham l. c. *nisi si parseris* coniecit.

findet.‘ utraque offensione Palatinorum memoria libera est exhibent enim:

Ne[c][1]) hic foras ambulét neve usquam óbviam veniát seni;

hanc igitur secuti sunt Spengelius, Studemundus (*annal. phil.* XCIII p. 60), Langenus, quorum hic praeterea proponit *hic foris*[2]), ‚dass er nicht hier draussen auf und abspaziere.‘ hiatum in diaeresi qui improbat, Loewii audaciore sane coniectura

Ne hinc foras usquam ambulet neve obviam veniat seni

usus adhibitis simul Langeni rationibus scribere poterit:

Ne hic foris usquam ambulet neve obviam veniat seni,

quamquam hoc obesse videtur, quod in tradito ordine *hic* et *usquam* bene sibi opponuntur. id vero certum est Ambrosiani correctorem de suo coniecisse *hinc exambulet*, ut exitum ex domo dilucidius significaret, quo facto, ne metrum corrueret, *usquam* eiectum est.

Stich. 271 hoc sis vide:

A: Stat ut facete atq. ut pictura astitit

P: Satin ut facete atque ex pictura astitit.

Ambrosiani memoria[3]) non uno nomine suspecta est; nam vocem *pictura* sive pro nominativo sive pro ablativo accipis, qui recte defendi possit, non video; neque enim Pinacium astat, ut pictura, sed, cum magnifice se inferat, eo, quo figurae in tabulis pinguntur statu magnifico; quocirca sententiae optime accommodatum est, quod in P legitur *ex pictura*; merum autem ablativum eodem sensu accipi posse nisi exemplis convictus non concedam. videtur autem in archetypo Ambrosiani, ut saepius, pro *ex* fuisse *e*, quod post *atque* facile excidere potuit; sententiae pessumdatae ut corrector consuleret, ex initio versus repetivit *ut*[4]); neque quod ibi in A est *sat* Palatinorum scripturam aequat; *sat* enim initio enuntiati positum ut tolerari nequit, ita potuit inseri a grammatico, qui vocis *satin* usum Plautinum non noverat; de *satin ut* cf. inprimis *Men.* 180 ‚ah, solem vide (*codd.* vides), satin ut occaecatust prae huius corporis candoribus‘; vide etiam Lorenzium ad *Most.* 76 et Luchsium *Quaest. metr.* p. 293 adn. versus autem, ut adhuc constitutus est, sententiam nondum offensione liberam esse Muellerus

---

[1]) B *nec* pro *ne* ut *Truc.* 231 A neq. umquam, P necumquam = neumquam.

[2]) *foras* fortasse redit ad *foreis*.

[3]) cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 176.

[4]) Similis recensio in P est *Mil. glor.* 724.

(*Pros. Plaut. add.* p. 72) non minus bene demonstravit, quam ad eam restituendam unice convenire Fleckeiseni coniecturam: ‚Satin ut facete aeque atque ex pictura astitit.‘

Most. 785 hem, quis hic nominat me?

A: Ero servus multimodis fidus. ‖ unde is?

P: Ero servus multum suo fidelis.

unde is om. P, *fidelis* om. CD, servavit B. Ambrosiani recensio, in qua metrum sanum non est, numeris sic facillime coerceri alicui videatur:

Ero servos multis modis fidus. ‖ unde is?

si vero videmus, formam *multimodis Bacch.* 385 *Mil. glor.* 1190 *Pers.* 706 (neque praeterea apud Plautum invenitur) coniectura demum recuperatam esse, cum librarii Palatinorum ubique *multis modis* exaraverint, itemque *Stich.* 684 *omnibus modis* in A et P, *Trin.* 931 *miris modis* scriptum esse pro *omnimodis, mirimodis*, quae formae metro requiruntur, nescio an rationi repugnet, si quis unico loco, ubi *multimodis* traditum est, hanc formam rariorem ex vulgari *multis modis* corruptam esse contendat. sed redeat nihilo minus Ambrosiana recensio ad *multis modis fidus:* nonne, si hanc scripturam cum Palatinorum memoria *multum fidelis* comparamus, ipsa exempla quae supra attuli in Ambrosianum suspicionem interpolationis conferunt, praesertim cum eandem elocutionem etiam ei, qui post *Bacch.* 507 versum ‚ego istanc multis ulciscar modis‘ interpolavit, placuisse videamus? qui vero *multimodis* non credunt librariorum errore corruptum esse ex *multis modis*, cum Ritschelio Ambrosianae recensionis versum addito *suo*, quo aegre caremus, sic redintegrabunt:

Eró servos múltimodis sŭo fidus. ‖ unde is? [1])

sed ne haec quidem versus forma gravissima offensione libera est; etenim ante caesuram tetrametri bacchiaci alteram secundi bacchii syllabam longam in duas breves solvi aut omnino per artem Plautinam non licet, aut rarissime a poeta admissum est; cf. Seyffertus *de bacch. vers. usu Plaut.* p. 21; Studemundus *Zeitschr. f. d. Gymn.-W.* XVIII p. 539. deinde quominus *omnimodis* inter poetae verba recipiatur hoc obstat, quod cum verbis tantummodo

---

[1]) Quam postea (*ind. schol. Bonn.* 1856 p. 4 = *Op.* III p. 344) lectionem proposuit *multimodis qui fidus unust*, ex falsa de Ambrosiani scriptura opinione prodiit. eadem nisus Niemeyerus de hoc loco egit, quamquam Studemundus iam in *emendat. Plaut.* (1870) p. 14 adn. 8 dixerat, in A luculenter legi *unde is.*

coniunctum invenitur neque aliam usquam significationem habet nisi *vielfältig, in vieler Beziehung;* cf. *Bacch.* 385 ,multimodis meditatus sum'; *Mil. glor.* 1190 ,multimodis sapis'; *Pers.* 706 ,nomen multimodis scriptum est'. servus igitur fidem suam erga dominum iactaturus non dicet ,*multimodis fidus sum*', cum *multum fidus* aptissimum sit; cf. Brixius ad *Capt.* 272. vides, vix ullo modo auctoritatem Ambrosiani posse vindicari. quid vero Palatini? in quibus quia *unde is?* omnino deest, Fleckeisenus eorum recensionem restaurare sibi visus est hac scriptura:

Ero servos multum suo qui fidelist.

sed quisquis versuum 783. 784 miram in P speciem observaverit non dubitabit, quin in archetypo Palatinorum graves turbae fuerint, quibus etiam *unde is* perierit. quae verba si ex A recipimus, haec versus forma in iudicium vocanda est

Ero servos multum su͡o fidelis. ‖ unde is?

ne ipsa quidem ab omni parte absoluta. Spengelius enim in libro, cui titulus est *Reformvorschl. z. Metr. d. lyr. Versarten bei Plautus*, p. 101 sqq. observavit, synizesi in bacchiaco metro locum non esse nisi in arsi. quam offensionem ut tollamus, *fidus* pro *fidelis* scribendum est, non quia A hoc servavit — nam ex versu a correctore retractato quominus incautius quid sumamus diligenter cavendum esse identidem diximus — sed quia lenior medela inveniri nequit; *fidelis* enim pro *fidus* scriba eodem errore scripsisse videtur, quo *Mil. glor.* v. 1015 in B *fides*, in CD *fidelis* pro *fidus*, quod metro postulatur, exaratum est. versus igitur in P levi macula adspersus, in A consulto retractatus ita legendus est:

Ero servos multum suo fidus. ‖ unde is?[1])

Merc. 256 et 260

256 A: Postquam id quod volui transegi, ibi ego conspicor
Navem ex Rhodo;

P: Postquam id hic quod volui, transegi, atque ego conspicor

259 A: Inscendo in lembum atque ad navem devehor
260 Atque ibi ego aspicio forma eximia mulierem

---

[1]) Sic etiam Spengelius in conspectu canticorum Plauti et Terenti (*Reformvorschl.* p. 383) versum expressit, in ipso libro de bacchiis satis copiose disserens eum non commemoravit.

259 P: Ascendi[1]) in lembum atque ad navem advehor
260 Atque ego illi[c][2]) aspicio forma e. q. s.

ut exiguas diversitates primum expediamus, *hic* in v. 256 interpolatum est; in v. 259 initio quod in A praesens tempus legitur, rectum est; utrum tamen *ascendo* an *inscendo* Plautus scripserit, diiudicari nequit. illud habes *Rud.* 326. 538; hoc *Bacch.* 277. *Mil. glor.* 116. *Rud.* 503; *conscendo Merc.* 931. 946. *Rud.* 63. in P librarius ut *advehor* scriberet, eo adductus est, quod in mente habebat *ad navem*; de quo corruptelarum genere cf. Spengel, *Reformvorschläge* p. 198 adn. 2. quod ad graviores diversitates attinet, utroque loco Goetzius auctoritati Ambrosiani obsequi quam integro iudicio uti maluit. namque ut ei largiamur, quod nullo pacto largiendum est, neutram scripturam per se alteri cedere, certe quaerendum erat, utra facilius inferri potuerit grammatici manu? quis autem tam perverso utatur iudicio, qui grammaticum tantae doctrinae sibi fingat, ut in *ibi* offenderit et sententiarum conexu egregie ac sagaciter perspecto eam coniunctionem posuerit, quam hac reconditiore notione poetae tantum, inprimis Plautus, non sane multis locis adhibuerunt? immo vel invitis nobis ea se obtrudit observatio, ut corrector vocis *atque* peculiarem significationem non cognoverit et verbum vulgarissimum *ibi* substituerit. sed videmur nobis etiam liquida ratione Ambrosiani scripturam redarguere posse. adhibentur enim cum *atque* tum *ibi* post sententias temporales vel enuntiata, quae earum vice funguntur, in apodoseos initio. est autem inter eas voces hoc discrimen a Plauto sedulo observatum, ut *ibi* habeat significationem mere temporalem, quo actio sententiae secundariae et primariae aut in idem tempus incidere aut altera altera continuari et excipi indicetur.[3]) *atque* vero non rerum tempora respicit, sed indicat tantummodo rem novam atque prorsus inexpectatam ante ipsius narrantis oculos evenisse.[4]) cuius distinctionis larga exempla in promptu sunt: *Aul.* 197 ,ubi manum inicit benigne, ibi

[1]) *Ascendi* CD; *escendi* B.

[2]) *illic* CD; *illam* B.

[3]) Itaque in narrationibus saepenumero bis terve deinceps usurpatur, ut singula rei narratae momenta distinguantur.

[4]) Lorenzius ad *Most.* 1036 et Ussingius (II 395) apte comparant, quod Graeci in apodosi dicunt *καὶ* vel *καὶ τότε δή*.

onerat aliquam zamiam'. *Bacch.* 957 sq. ,nam dudum ut primo dixeram nostro seni mendacium, ibi signum ex arce iam abstuli'. 960 ,ubi tabellas tetuli, ibi occidi Troilum'; cf. 961. *Aul.* 526 ,Ubi nugigerulis res solutast omnibus, ibi ad postremum cedit miles'. *Bacch.* 36 ,Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subvenias'. *Pers.* 304 ,ubi se adlevat, ibi me adlevat'. *Pseud.* 840 ,Ubi omnis patinae fervent, omnis aperio: ibi odos . . in caelum volat'. *Amph.* 250 ,Penetrant se in fugam: ibi nostris animus additust'. *Epid.* 240 ,ibi illarum altera dixit', 245 ,ibi illa nominat Stratippoclem', 250 ,ibi illa interrogavit'; cf. *Curc.* 340. *Amph.* 1068 ,ardere censui aedes: ita tum confulgebant. ibi me inclamat Alcumena'. *Amph.* 1094 ,invocat deos inmortalis, ut sibi auxilium ferant . . ibi continuo contonat sonitu maxumo'. hoc loco cave aliam atque temporalem notionem voculae *ibi* tribuas; significat enim praesens dei auxilium subsecutum esse invocationem: ,sie ruft die unsterblichen Götter an: gleich donnert es auch gewaltig'.[1]) itaque verba *ibi continuo* coniuncta unam notionem temporalem efficiunt non aliter atque *exinde ilico Curc.* 363. unum exemplum diligenter quaerens inveni, quod in contrariam partem valere videtur: *Curc.* 648 ,ego pertimesco: ibi [me] nescio quis arripit timidam' e. q. s.[2]) sed cum *ibi* etiam antecedenti versu legatur, nihil nisi orationem continuat eodem modo, quo *Epid.* 240. 245. 250. at vide, quantum ad Palatinorum scripturam confirmandam valeant septem gravissima testimonia, quorum tria iam a Lorenzio citantur: *Most.* 1050 ,quom eum (senatum) convocavi, atque illi me ex senatu segregant'. *Bacch.* 278 sq. ,forte ut adsedi in stega, dum circumspecto me, atque ego lembum conspicor'. *Epid.* 217 ,quom ad portum venio, atque ego illam illi video praestolarier'. unum addidit Ussingius (II 396): *Poen.* 650 ,dudum mane ut ad portum processimus, atque istum e navi exeuntem oneraria videmus.' praeterea afferendi sunt *Mil. glor.* 288 ,forte fortuna per inpluvium huc despexi in proxumum: atque ego illi aspicio osculantem Philocomasium, e. q. s. *Most.* 488 ,abimus omnes cubitum; lucernam forte oblitus fueram extinguere: atque ille exclamat derepente maxumum'. *Amph.* 1070

[1]) Goetzius et Loewius hoc loco scripserunt *tum ibi* Muellerum secuti, qui propter *Curc.* 648 *tum* addidit; in Curculionis autem versu Goetzius illud *tum*, quod illi coniecturae praesidio esse debet, exulare iussit.

[2]) Sic Goetzius; codd. *tum ibi nescio.*

,accurro ut sciscam quid velit: atque illam geminos pueros peperisse conspicor'. quibus exemplis cum *atque ego conspicor* ita vindicatum sit, ut contradici nequeat, ad versum 260 transeamus, ubi in A *atque* sane servatum est, in sequentibus autem fraudulentus corrector verba Plauti corrupit. sed cum Palatini inter se dissentiant, quid in eorum archetypo extiterit, primum explorandum est. atque genuinam scripturam apertum est fuisse *illic;* in B *illam* scriptum est, quia qui hunc codicem per hanc fabulam correxit, illam vocem cum *mulierem* concinere voluit; neque hoc tantum loco codex vetus cedit ceteris eiusdem recensionis codicibus; nam immerito viri docti plerique neglexerunt, quod Muellerus (*Pros. Pl.* p. 638 *add.* p. 75 et 29 sq.) verissime dixit, codicem B in Mercatore et Milite glorioso fabulis in universum a C et D virtute vinci. *atque ego illi* (sic enim scribendum est) quam non veri simile sit a grammatico invectum esse per se elucet et versu *Mil. glor.* 288 comparato omni dubitatione eximitur. eis autem, quae in A extant *ibi ego* veterem grammaticum mensuram posterae aetati insolitam *égo ĭlli* sustulisse sciendum est. de versibus 256. 260 apud Niemeyerum nullum verbum. de 259 cf. p. 36.

Poen. 746

P: Suspendant omnes n u n c i a m s e haruspices

A: Suspendant omnes n u n c i a m s e s e haruspices.

In propatulo est, auctorem recensionis *nunciam* ad consuetudinem recentioris aetatis pro disyllabo (*nunc-iam*) habuisse et propter metrum *se* duplicasse. conferatur *Mil. glor.* 263, ubi Ritschelius scripsit:

Participaverit de amica erili, se vidisse eam

codicum vestigia recte secutus; *esius e* et eadem manu *eri*||| *se* B, *eri qui* CD, *eri sese* A ex recensione.

Trin. 88

P: Sed istuc negoti s c i r e c u p i o q u i d q u i d e s t

A: c u p i o s c i r e q u i d s i e t.

Niemeyerus p. 2: ,Quis tandem de hac diversitate fortiter diiudicare audebit?' at post Luchsii quaestiones metricas (Studemundi *stud.* I) nemo iam dubitabit, quin in eo certe Ambrosiano fides abroganda sit, quod *cupio scire* habet. quae enim excusationes iambo in quinto pede senarii posito concessae sunt, earum sub nullam cadit *scirĕ quíd siet.* bene vero Palatini spondeum quinti pedis servant. nec de ea differentia, quae in proximis verbis

inest, vereor, ne ad veritatem nos expedire non possimus, his fretus rationibus: cum Megaronides odiosam rem ad Calliclem delaturus haesitet et per ambages paullatim ad rem propositam pervenire studeat, Callicles, ut ad quodvis opprobrium audiendum se paratum esse demonstret et Megaronidem ad rem aperiendam commoveat, si Palatinos respicimus, haec ait: iam, quamvis grave sit, quod me accusaturus es, cupio scire. quae sententia cum per se ad totius loci indolem longe melius quadret, quam Ambrosiani interrogatio, quin vere Plautina sit nemo dubitabit, si in simili rerum condicione eadem elocutione identidem Plautum usum esse viderimus. in Mercatoris actus primi scaena secunda cum Acanthio quae calamitas Charino acciderit cunctetur dicere, Charinus primum vv. 133. 134 ex eo quid factum sit quaerit, tum iterum Acanthioni instat verbis *loquere id negoti quidquid est*[1]) eodem modo, quo *Trin.* 88 ex Palatinorum testimonio. nec aliter habet *Cas.* III 5, 14 et 18, ubi Lysidamus (*Stalino* ante Studemundi *emendationes Plautinas* emissas falso appellatus) post iteratas interrogationes his verbis servum alloquitur: ,Nam nisi ex te scio, quidquid hoc est cito, iam tibi istuc cerebrum dispercutiam' et III 5, 21 ,sed hoc quidquid est, loquere'. *Asin.* 295: ,ibo adversum atque electabo quidquid est'; cf. Brixius ad *Mil. glor.* v. 311. denique quoniam in collocatione verborum Palatini nobis probati sunt, eo facilius iis in fine quoque versus fidem habebimus.[2]) Ambrosiani autem correctori videtur displicuisse, quod a verbo sciendi duplex obiectum ,istuc negoti', ,quidquid est' pendet; quocirca recordatus locorum velut *Cas.* III 5, 15 ,Timeo hoc negoti quid siet'. *Merc.* 789 ,Nesceis negoti quid sit', similium multorum (cf. Becker l. c. p. 179) interrogationem obliquam formavit, quo fit, ut *istuc negoti* iungatur sententiae secundariae.

Trin. 398

A: Suaé senectuti ácriorem hiemém parat,
Cum illi[3]) inportunam tempestatem conciet
P: Suaé senectúti is acriorem e. q. s.

Studemundus *Mus. Rhen.* XXI p. 602: ,In A fehlt is ganz.

[1]) Ritschelius, qui in *Trin.* v. 88 Ambrosianum secutus erat, ob illius scripturam etiam hoc versu scripsit *quid siet.*

[2]) Neque tamen ignoro *Stich.* 202 *quicquid* pro *quid* et *Pseud.* 713 *quicquid opust* pro *si quid opust* in P falso legi.

[3]) *Illi* Ribbeckius, *illam* codd.

Während also die palatinische Recension eine erlaubte Verschleifung der beiden Anfangssilben von senectuti erforderlich macht, ist es zweifelhaft, ob der Ambrosianische Recensent dieselbe Verschleifung mit Hiat in der caesura penthemimeres statuiren wollte, oder ohne Hiat und Verschleifung zu lesen vorzog: Suaé senéctuti acriorem hiemem parat. Die erstere Annahme hat grössere Wahrscheinlichkeit.' at si recensionem statuimus, quanam causa correctorem *is* eiecisse putabimus? profecto nulla alia excogitari potest, quam auctorem recensionis mensurae *senĕctuti* ignarum id egisse, ut *is* eiecto metrum restauraret. qua occasione oblata alterum locum tractare in animo est, ubi item *is* perperam in A non tam eiectum quam casu omissum videtur.

Trin. 849. 850

Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego qui sit homo nescio
A: Neque novi neque natus n e c n e f u e r i t, id solide scio
P: n e c n e i s f u e r i t

in P cum *is* servatum sit, bene distinguuntur *nescio neque novi* — *neque id solide scio, natus necne is fuerit. nescio neque novi* omnes sciunt tam arte coniuncta esse, ut quasi in unam notionem coaluerint. quorum obiectum *quem* cum in sententia altera subiecti vice fungatur, iterata pronominis positio si non necessaria, tamen aptissima est. exemplo sit *Epid.* 576: ,Quia ego i s t a n c quae siet neque scio neque novi, neque ego h a n c oculis vidi ante hunc diem.' ubi si obiectum *istanc* poeta repetivit per *hanc*, quanto verisimilius est eum idem in *Trinummi* versu fecisse, ubi obiectum prioris sententiae in subiectum alterius transit.

Trin. 560

P: Lepide hercle d e agro ego hunc senem deterrui
A: Lepide hercle agro ego h o c hunc senem deterrui.

de sanitate versus Palatinorum nemo dubitabit; de Ambrosiani autem correctoris consilis, cum metrum turbatum sit, periculosum est iudicare. si vero propter duplicem discrepantiam statuendum esse videtur, non cum Lachmanno versum ad hanc formam, Lepide hércle agró ego hoc húnc senem deterrui' redire putaverim, sed potius ad ,Lepide hércle agro hóc ego húnc senem deterrui.' origo autem mutationis inde repetenda videtur, quod aut *de* post *hercle* excidit aut mensuram *dé agro* corrector non magis probavit quam *Trin.* 1078. *Merc.* 534; cf. p. 19. vitium igitur sive errorem corrector addito *hoc* tollere studuit.

Trin. 1054

P: Hoc qui in mentem venerit mi? re ipsa modo commonitus sum

A: Hoc qui in mentem venerit mi? modo re ipsa commotus sum.

correctoris opera tam manifesta est, ut verbis supersedere possim.

Trin. 1071

A: Satin oculis ego plane video? estne hic an non est? is est

P: Satin ego oculis plane video? estne ipsus an non est? is est

hic ferri non posse vidit Fleckeisenus (*ann. phil.* XCIII p. 61 adn.); recensionem statuit ibidem Studemundus; corrector enim novandi studio pro forma antiqua *ipsus* posuit *hic*, hiatum qui inde oriebatur non curans.

Mil. glor. 686 verum egone eam ducam domum,

Quaé mihi numquam hoc dícat: eme, mi vír, lanam unde pallium . . . .

Conficiatur?

sic A eumque secutus Ribbeckius, P *unde tibi.* Palatinorum versus cum iusto longior sit, circumspiciendum est, quid ex interpolatione natum videatur. Ritschelius vocem *mi* delevit contra constantissimum usum Plautinum, ex quo, ubicumque uxor maritum alloquitur, *mi vir* requiritur; cf. *Amph.* 502. 710. 716. 812. *Cas.* III 3, 23. 25. V 4, 5. contra *Rud.* 105, ubi vir virum alloquitur, pronomen omittitur; qua propter etiam *Mil. glor.* v. 690 ad usum Plautinum sic reconcinnandus est: ‚Dicat: da, mi vir, calendis' e. q. s. (*da mihi, vir, calendis* codd. et editiones). Ribbeckius vocem *tibi* propter sententiam finalem *ne algeas hac hieme* otiosam censet (*Mus. Rh.* XXXVI p. 117), qua in re me quidem adsentientem non habet. haec enim vocula idcirco retinenda est, quod, si omittitur, in pendenti demum sententia, cuius in usum hae vestes conficiantur, intellegitur; praeterea cum uxor, quae in viri commoditate sumptus facit, ei opponatur, quae alienis tantum prospicit, hanc oppositionem verbo *tibi* iam ab initio indicari par est. itaque pronomen *mihi* potius eiciendum videtur. quod quam supervacaneum sit, versus 690 demonstrat. hanc igitur versus formam commendamus:

Quae nunquam hoc dicat: eme mi vir lanam, tíbi ŭnde pallium . . .

Conficiatur

(cf. Muelleri *Pros. Plaut.* p. 372). Ambrosianum autem qui

recensuit metrum inlato *mihi* iam in archetypo pessumdatum deleto *tibi* restauravit.

Mil. glor. 747

A: Si íllis (*sc.* servis) aegrest, míhi id (?) quod volup est, méo remigio rem gerunt

P: ,meo rem remigio rem gero'. Ritschelius Ambrosianae memoriae ignarus eiecto altero *rem* Palatinos, Ribbeckius Ambrosianum secutus est; ac vertit hic quidem: ,wenn sie ärgert, was mir Vergnügen macht, rudern nach meinem Steuer sie doch.' hac versione, ad quam Klotzii coniectura *meo remigio remigo* (*annal. phil.* LXXI p. 203) adductus videtur esse, difficultas non tam solvitur, quam obscuratur. verba enim tradita si diligenter perpendemus, *rem gerunt* sententiae nullo modo accommodatum est; nam sive vertis ,führen sie doch nach meinem Befehl die Sache (sc. quae illis aegrest) aus' sive mavis ,erfüllen sie doch nach meinem Befehl ihre Obliegenheiten', utrobique hac scriptura sententia insequentis versus ita anticipatur, ut in utroque versu fere idem dicatur, quod breviter his verbis comprehendere licet: etiamsi iis aliquid molestum est, tamen obsequi debent. contra apto ordine procedunt sententiae, si Palatinos audimus: si illis aegre est, quod mihi volup est, nihil moror; ex meo arbitrio rem meam rego et tracto, quocirca servos quamvis invitos quaecumque iubentur efficere cogo. apte Brixius citat *Bacch.* 752: ,Mea fiducia opus conduxi et meo periclo rem gero.'

Mil. glor. 1142 Nimis facete nimisque facunde malast.

Ut lepide deruncinavit militem. ‖ at etiam parum.

sic P; ,at etiam rogas?' A. Ambrosiani scripturam non casui deberi tam certum est, quam a Plauto eam profectam non esse. quaerentibus autem quo consilio nata sit, responderim cum verecundia sane, correctorem verba *ut lepide deruncinavit militem* pro interrogatione accepta Acroteleutio, *at etiam rogas* aut Palaestrioni aut Milphidippae dedisse, verborum autem insequentium omnino nullam rationem habuisse. nec audaciae est talia correctori tribuere, quoniam in archetypo Ambrosiani non magis, quam in ipso Ambrosiano personarum notas fuisse consentaneum est. tamen non multum adversabor, si quis librario, dum legerit *at etiam*, in mentem venisse dicat notissimae illius elocutionis *at etiam rogas*, quam sententiarum conexus nulla ratione habita in continuitatem verborum asciverit.

Poen. 910

A: Quin hercle collibertus meus faxo tu eris, sei dei vol[ent]
P: Qui hercle conlibertus meus faxo eris si di volent

editores novissimi cum Fleckeiseno Palatinos secuti versum sic ediderunt:

Hercle qui meus conlibertus faxo eris, sei dei volent.

quod si recte fecerunt, non improbabilis est sententia, Ambrosiani correctorem *tu* inseruisse, ut hunc versum fingeret:

Qui[n] hercle conlibertus meus faxo tu eris, sei dei volent.

et ne id quidem incredibile est correctorem versum, quamquam trochaicis interpositus est, neglegenter pro iambico legisse: *Quin hércle e. q. s.* alterum enim huiusmodi erroris exemplum extat, quod vix alio modo expediri potest, *Poen.* 368

A: Mene ego praesente patiar illaec dici? discrucior miser
P: Mene ego illaec patiar praesente dici? discrucior miser

in A transpositio non tam casu, quam eo consilio facta esse videtur, ut *praesente* cum *mene* artius coniungeretur. versum autem hic quoque per iambos corrector dimensus esse videtur: ‚Mene égo presente patiar illaec dici? discrucior miser.' nec in P consimile exemplum deest v. 1275, quode vide infra.

Quem locum excipiat *Poen.* v. 1062. 1063

P: Ecquid meministi tuom parentum nomina?
AG. Patris atque matris memini. HA. memoradum mihi

e. q. s. Ambrosianae recensionis auctor aliam personarum distributionem invexit

Ecquid meministi tuom parentum nomina,
Patris atque matris? AG. memini. HA. memoradum mihi.

simile est quod in P invenitur exemplum *Stich.* 342, quod vide infra.

Pseud 85; cf. Loewius *Anal Plaut.* p. 155.

A: Actum est de m[e hodie. sed potes] tu mutuam
Drach[mam da]re unam mihi quam cras reddam tibi?
P: Actum hodie iam de me est. sed potes nunc mutuam
Drachumam dare mihi unam quam cras reddam tibi?

in altero versu cum falsus qui in P extat ordo verborum nullo modo a correctore constitutus esse possit (nisi quis eum sanis versibus in elumbes depravandis operam dedisse contenderit), casu Palatinos hanc labem traxisse omnes concedent. de prioris versus discrepantia Loewius sic disputat: ‚vocula *nunc* non minus apte caretur, quam si nos vernacule dicimus: kannst Du mir

einen Thaler borgen?‘ at non perspexit vir doctissimus, quid sibi velit *nunc*. extemplo enim Calidoro drachuma opus erat, ut resti empta quam citissime se suspenderet; cf. v. 90: ‚Certumst mihi ante tenebras tenebras persequi‘. iam non dubium esse puto, utrum in *nunc* maior vis insit an in *tu*. de priore versus parte Muelleri iudicium probo (*add.* p. 138), cui *iam* ad sententiam aptius dictum videtur, quam *hodie;* quod si in A *actumst de me hodie* fuisse ex spatiis litterarum deperditarum cum Loewio colligimus, hic quoque Ambrosiani recensio statuenda est; nam cum in archetypum utriusque versus *hodie* invasisset, versum turbatum Palatinorum librarii religiose descripserunt, Ambrosiani autem corrector metri gratia genuinam voculam *iam* delevit, interpolatam *hodie* servavit.

Stich. 4; cf. Buecheler-Windekilde *de declinatione* p. 80: ‚*Stich.* 4 ist absentium in A, absentum in BCD, und interessant genug je nach der Genetivform in beiden Recensionen der Vers gemodelt, in der einen abséntium íta ut aéquom est, in der andern abséntum ut ést aéquom; der Verdacht der Fälschung kehrt sich gegen die erstere Recension, obwohl *Stich.* 220 praesentium steht. aliter sane et iudicavit et versus numeris astrinxit novissimus editor, qui scribens

Quorúmque nos negótiis abséntum, ita ut aéquomst

utriusque recensionis testimonia conflavit.

Truc. 294 P: creta omne corpus intinxti tibi
A: intexti tibi.

intexti enim latet in Ambrosiani apicibus INTEAIT; perperam vero Baehrensius in *ann. phil.* 1882 p. 479 Ambrosiani scripturam defendit: ‚corpus non intingitur, sed integitur creta‘; qui non respexit Hor. *epod.* 12, 10 ‚nec illi iam manet humida creta‘ Mart. VI 93, 9: ‚acida latet oblita creta.‘

Stich. 261

Nullan tibi linguast? ‖ quae quidem dicat ‚dabo‘
P: Veterem reliqui: eccillam, quae dicat ‚cedo‘
A: *Ventri reliqui* e stultissima coniectura, quam tamen Geppertus (*stud.* II p. 42) defendit.

Stich. 493 oratores
P: Summi accu[m]bent; ego infimatis infimus
A: Summi incubabunt, ego infimatis infimus.

quod Muellerus (*Pros. Plaut.* p. 352) Ambrosiani vestigia secutus scribit ‚Summi accubabunt, égo infumatis ínfumus‘ non possum

probare, cum unico huius correptionis exemplo altera recensio obstet. dixerit quispiam in A deprehendi grammaticum, qui metrum minime curans futuri formam secundum versum 377 ‚accubabo regie' reduxerit; sed ni omnia fallunt, in Ambrosiani scriptura latet duplex scriptura *incubunt* et *incubant*, quarum altera vitium eius, qui archetypum exaravit, altera correctoris emendatio videtur esse. talia autem coniciens ne temeritatis incuser, hos locos velim inspicias: *Epid.* 614 A: *quid agitis mea commoditas?* i. e. *quid agis* et *quid agit.* *Trin.* 50 A: *valesne tualuistine,* B: *valent ualuisti,* CD *valen ualuisti.* ad scripturam vere Plautinam ducimur codice B, ex quo Loewius recte enucleavit *valen tu? valuistin?* (cf. *Anal. Plaut.* p. 141). in A, in quo *t* puncto supra scripto deleta est, duplex scriptura latet, genuina *valen tu valuistin* et novicia *valesne valuistine.* *Epid.* 513 *malo ut cruciatu ut pereas* A, id est *malo ut cruciatu pereas,* et *malo cruciatu ut pereas*; cf. etiam supra *Pseud.* 433 et 451.

Stich. 372 P: Hem, quid? Epignomum elocutu's?
A: Hem, quid? Epignomum es locutus?

Ambrosiani corrector in *elocutu's* verbum substantivum iam contineri non magis intellexit, quam Palatinorum corrector *Most.* 671 (vide infra). cur vero cum P *elocutus* legendum sit, docuit Langenus (*Beitr.* p. 184).

Pers. 401 praebent P: ‚Qui mihi iuratus est sese hodie argentum dare', ubi ‚iuratust sese' scribendum est. Ambrosiani correctori placuit ‚iuratus est se'.

Poen. 638

P: Quia nos honoris tui causa huc ad te venimus

quae scriptura aperte redit ad

Quia nós tui honoris caúsa huc ad te vénimus;

metri autem gratia *huc* in A deletum est, cuius versum Goetzius Loewiusque non recte receperunt; nam *huc ad te* Plauto usitatissimum est; cf. v. gr. *Trin.* 67 ‚nam ego dedita opera huc ad te venio'; porro *Trin.* 97. 1151. *Truc.* 148. 397; sic etiam *hic apud vos, hic prope me, hic ante aedes* sim. saepissime dicitur.

Hos locos visum est in hac paragrapho colligere, quamquam copia locorum, quibus Ambrosianus retractatus esse videtur, nondum exhausta est. sed quia in eo potissimum studium meum posui, ut ubique mentem correctoris et rationem emendandi perspicerem et ostenderem, plures locos consulto seclusi, de quibus ea de causa mihi non satis constabat, quod ratio emendandi di-

spici non poterat. velut potest recensio facta esse *Poen.* 345, ubi in P est:

Sunt mihi intus nescio quot nummi, aurei lymphatici,

in A: Sunt mi nescio quot nummi aurei lymphatici.

sed quamnam dices mutandi causam fuisse, quoniam correctorem hiatus studiosum fuisse ineptus esset qui contenderet, sententia autem tam plana est, ut vix expisceris, quid correctori ansam dederit. idem valet de v. 601: ‚Et quidem quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris' P; A omittit *hodie*, quo hiatus existit. porro *Pers.* 392 fortasse non mendum scribae est, quod in A metro salvo extat

Librórum eccillum habeó plenum illum sóracum,

cum P archetypi corruptelam religiose servaverint:

Librorum eccillum habeo plenum soracum.

quis autem certi quidquam affirmare audeat? deinde persuasum habeo, *Mil. glor.* 365 Ambrosiani memoriam ‚hic mihi dixit id (*id incertum*) quae dixi' adulterinam esse, sed priusquam ex Palatinorum apicibus evidenti coniectura verum inventum erit, non audeo fidenter meam sententiam edere. et huius modi alia.

§ 4.

In recensendo correctores hoc inprimis studuisse, ut structuris et formis grammaticis ipsorum temporibus iam obsoletis eas substituerent, quae eorum aetatis consuetudini conveniebant, in antecedentibus identidem dictum et demonstratum est. sed in his de iis tantum locis exposui, quibus praeter grammaticas alius quoque generis mutationes observabantur vel quos ratio corrigendi ceterorum communioni inserere iubebat. ut largum locorum numerum seorsum nunc tractem, id me movit, quod saepe dubium est, utrum mutationes mere grammaticae auctorum utriusque recensionis deliberatum consilium ostendant an vel magistellorum imperitiae vel librariorum erroribus debeantur. velut in utraque recensione hoc diversitatis genus satis late patet, quod continetur in temporibus et modis verbi ad trita artis grammaticae praecepta mutatis; in quo sat saepe numerorum prorsus incuriosi fuerunt correctores. ut exempla ponam, quae in A rariora esse consentaneum est, his locis in A mutationibus grammaticis versus iacturam passus est: *Stich.* 636 P: ‚Viden benignitates hominum [ut] periere et prothymiae'; A, ut modus interrogationibus usi-

tatus restitueretur, exhibet *perierint*. *Pers.* 369 P: ,Malo cavere meliust te. At si non licet Cavere' A: *liceat*; *Poen.* 440 *P*: ,Quod híc inter nos líceat? ‖ ita me Juppiter'; A: *licet*; *Poen.* 599 P: ,Vérum ad hanc rem agúndam Philippumst. ‖ íta nos adsimulábimus'; *adsimulemus* A; *Poen.* 852 P: ,Túos amicus. ‖ haúd amice fácis, qui cum onere offérs moram'; *offers* ex *offeras* B, *offeras* A; cf. etiam *Cas.* prol. 52. 55. 62. in P similia habes *Mil. glor.* 170 A: ,haud múltos homines, si óptandum foret ‖ Nunc videre mavellem'; *fuerit* P; *Mil. glor.* 377 A: ,Nisi mírumst facinus, quómodo haec hinc húc transire pótuit'; *potuerit* P; *Mil. glor.* 1045 ,viden ut sese infert' Acidalius; *inferat* P sine metro; cf. supra *Stich.* 636. *Cas.* III 4, 1 AB: ,Viso huc amator si a foro rediit domum'; *si redierit a foro* cod. Paris. Gepperti; *Men.* 592 A: ,plus quam opus fuerat dicto'; *erat* P; *Cas.* I 26 A: ,tua illaec praeda sit'; *praeda est* P; *Epid.* 506 AJF ,Eho an líbera illast? Quis eam liberavit Volo scire; *liberaverit* (*erit* ex *i* manu tertia, ut videtur) B. est autem non solum probabile, sed adeo certum, ad eosdem auctores etiam aliorum locorum, quibus casu metrum integrum mansit, correctionem referendam esse. quoniam autem fieri non potest, ut certis finibus ab hoc mutationum genere disterminetur vera recensio, ne tales quidem differentias, modo metrum sanum sit, afferre supersedeo, cum quatenus in A, quatenus in P poetae verba grammaticorum operam experta sint, uno conspectu componere optimae frugis sit ad plenam et integram recensionum imaginem in animis refingendam. atque ut pergam de temporum et modorum verbi per recensiones diversitatibus referre, in A hi loci retractati sunt:

Truc. 363 P: Velim, si fieri possit
A: Vellem, si fieri posset.

Pseud. 131
P: (Ostium) Lenónis crepuit. ‖ crura mavellem modo;

mavelim A, intolerabilem in quinto pede iambum exhibens. Tribus locis indicativus in interrogationibus obliquis perperam inductus est: *Cist.* II 1, 42

B: Anne ut etiam quid consultura sis, sciam?
A: Anne etiam quid consultura es perge eloqui.

Mil. glor. 1184: P: ,quin dicis quid facturus sim'; *sū* A. *Trin.* 283 P: ,novi ego hoc saeculum moribus quibus sit'; *quibus et* A, quod Studemundo auctore *quibus est* interpretandum est. neque minus ratio mutandi apparet his locis:

Stich. 197 P: ‚quae loquitur auscultabo, priusquam conloquar'; *[con]loquor* A.

Merc. 512 P: ‚Quasi dicas nullam mulierem bonam esse'; *deicis* A.

Merc. 308 P: ‚Decide collum, si falsum loquar'; *loquor* Al.

Stich. 206 P: ‚eos tametsi haud indignos iudico, qui multum miseri sint'; *sunt* A.

Truc. 232 P: ‚Dum hábeat, dum amet; ubi nil habeat, alium quaestum coepiat'; *habet A.*

Stich. 385 P: ‚Iam ego non facio auctionem: mi obtigit hereditas. Malivoli perquisitores auctionum perierint'; *perierunt* A, quod scribae errori deberi videtur.

Pers. 387 P: ‚Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur'; *dum dos est* A. Geppertus sane *stud.* II p. 82 in A extare *dosit* contendit.

Poen. 1213 P: Sed quis homost? ‖ amicus vobis. ‖ qui quidem non inimicus est

A: ameicus vobis ‖ qui quidem non inimicus[1]) sit.

Poen. 875 B: ‚Quasi tacere quicquam potis sis'; *es* (?) A.

Cas. III 4, 28 P: ‚Aut quid ego umquam erga Venerem inique fecerim ‖ Quoi sic tot amanti [mihi] obviam eveniant morae'; *eveniunt* A.

Pers. 391 P: ‚Pol deum virtute dicam et maiorum meum'; *dico* A.

Men. 257 P: ‚geminum dum quaeris, gemes'; *quaeres* A.

Mil. glor. 700 P: ‚Si semel amiseris libertatem, haud facile eundem rursum restitues locum'; *restituis* A.

Mil. glor. 566 P: ‚Si muttivero etiam quod egomet certo sciam'; *scio* A.

Poen. 313 P: ‚Át ego amo hanc. ‖ at ego ésse et bibere. | ého tu quid ais? ‖ quíd rogas?'; A: ‚Át ego amabo hanc. ‖ át ego esse ét bibere. ‖ ého tu quid ais? ‖ quíd rogas?' Palatinorum scripturam *amo* novissimi editores spreverunt, quamquam non solum numeris, sed etiam sententia commendatur. dudum enim Agorastocles Adelphasium amat; neque esse et bibere Milphio amabit tantum, sed amavit semper et amat, ideoque vita decedere non vult.

Bacch. 519. ‚subblandibitur tum, quom nihilo plus re-

[1]) In utraque recensione cum vitio metri scriptum est *inimicus non.*

feret, Quam si ad sepulcrum mortuo dixit logos'. sic Ritschelius scripsit profectus ab Ambrosiano, qui *dixerit* praebet. at qui *Trin.* 409. 410

Non hercle minus divorse distrahitur cito

Quam si tu obicias formicis papaverem

contulerit, Palatinorum memoriam *dicat* immerito contemptam esse concedet. Ambrosianae autem recensionis auctor verbum *mortuo* per synizesin in duas syllabas contraxisse videtur.

Bacch. 953 P: ,Ílio tria fuísse audivi fáta, quae illi fórĕnt exitio'; *fuere* A. Ambrosianus perperam ab editoribus probatus est; male enim coeunt cum perfecto *fuere* ea quae sequuntur *signum si perisset, quom limen scinderetur,* id quod dilucide cognoscetur, si sententia ad simplicem formam redacta erit, quae A duce haec est: ,Ilio audivi exitio fuisse si perisset, quom scinderetur.' unice autem apta est quam P praebent sententia: ,audivi Ilio exitio fore, si perisset, quom scinderetur.' quocirca cum Spengelio *Reformvorschl.* p. 345) Palatinos probaverim, quamquam dubitatio relinquitur, quod correptio vocis *fórĕnt* hic tantum in Plauto invenitur.

Ad alia genera recensionis grammaticae in A factae aggressurus primum in legentium animos revocabo, quas novandi rationes adhuc cognoverimus. atque tribus quidem locis (*Trin.* 328. 361. 364.) vidimus *nevis, nevolt, nemulta* remota, *non vis, non volt, non multa* substituta esse. deinde *non,* quod Plautus vocis *nonne* vice adhibet, tribus locis coniecturis expulsum est; nec non structurae correlativae quam vocamus proprietatem huius recensionis auctor sustulit *Epid.* 606. *Cas.* III 6, 18. *Truc.* 184. *Pseud.* 404. — *Stich.* 624 et *Most.* 793 ad interrogationes, quae dicuntur ellipticae, verba addita sunt. verbis obsoletis velut *gutta consili* (*Pseud.* 397), *vetulus* (*Merc.* 314), *columis* (*Trin.* 743), *graphicus* (*Pseud.* 700), *sub diu* (*Most.* 765) vulgaria haec *quicquam consili, plane, incolumis, scitus, sub sole* substituta, pro rarioribus dictionibus usitatiores positae sunt velut *Truc.* 246 *habitat* pro *habet, Truc.* 261 *in nostra domo* pro *nostrae domi.* his accedunt

Pseud. 185 (leno meretrices alloquitur:)

Nunc adeo hoc factust optumum, ut nomine quemque appellem suo

A *quamque.* Loewius (*Anal. Plaut.* p. 164): ,quod quamque codex exhibet, tribuendum est illi, qui recentius genus dicendi in Plautum

invexit.' cf. *Mil. glor.* 807 ,Memineris, ne Philocomasium nomines. || quem nominem?' *quem* AB; *quam* rell. *Mil. glor.* 1321 sq. ,Istuc crucior, a viro me tali abalienarier. Nam tu quemvis potis es facere, ut adfluat facetiis'; sic Nonius p. 305; *quamvis* P.

Pseud. 905 P: ,Si umquam quemquam di immortales voluere esse auxilio adiutum'; *si umquam quicquam* A.

Truc. 267 P: ,nunc nisi dicis, quid quaeras cito'; *quem* A, cum Strabacem ab Astaphio quaeri corrector meminisset; exemplum simillimum in Palatina recensione est *Cas.* V 2, 4, quode vide infra.

Saepissime recensiones ita discrepant, ut altera *quid*, altera *quod* praebeant, quod non negaverim casu factum esse, sed sunt quae suspicionem recensionis grammaticae iniciant. *Epid.* 462 P: ,nisi dicis, quid velis'; *quod* A; *Trin.* 368 P: ,eloquere, quid dari vis'; *quod* A; *Pers.* 700 ,quod est tibi nomen' A; cf. Brixius ad *Trin.* 889. *Poen.* 1351 ,sume hinc quidlubet' Acidalius; *quod lubet* A, *quidem* P mutila scriptura, quae redit ad *quid [lubet]*; cf. 1353 P: ,sume hinc quidlubet', qui versus in A deest. quae in P extant similia exempla in iis fabularum partibus, quae in A quoque servatae sunt, infra collecta sunt.

Mil. glor. 156 P: Ni hercle diffregeritis talos posthac, quemque in tegulis
Videritis alienum;

quemquem A ex novicia scriptura. item v. 160: ,quemque . . . hominem videritis, huc deturbatote'; *quemquem* A. eodem modo, quod data occasione afferre liceat, in P voci *quisque* (sic A) substitutum est *quisquis* *Truc.* 225 (cf. h. diss. p. 15); atque in utriusque recensionis archetypo eadem *Poen.* 483 scriptura invenitur vv. *Trin.* 218 *Most.* 831 *Truc.* 228; cf. Ribbeck ad *Mil. glor.* 156. Brix ad *Men.* 717.

Stich. 396 P: ,Iube famulos rem divinam mi apparent'; cf. e. g. *Men.* 955 ,tuos servos iube hunc ad me ferant.' Loewius l. c. p. 179: ,vulgare genus dicendi, ex quo apud posterioris aetatis scriptores *iubere* verbum dativum asciscit, duce Ambrosianae recensionis auctore hoc loco sicut aliis ad ipsum Plautum refertur; habes enim in palimpsesto: *iube famulis*' e. q. s. quode secus iudico. nam cum in Plauto ne unum quidem praeterea exemplum huius structurae extet, in sermone autem vulgari eam usu venisse constet, aut constantissime per fabulas Plautinas haec constructio extirpata est, aut grammaticus quidam suae aetatis consuetudinem dicendi in Plautum intulit. quorum illud minus credibile est,

quod ne in ceteris quidem priscae latinitatis documentis ullum, quod sciam, exemplum huius usus inventum est, hoc analogia quam maxime commendatur. nam satis simile est *Pers.* 14 P: ,Similis est Sagaristionis', *Sagaristioni* A, quode exposuit Ritschelius *Op. phil.* II p. 572.

Mil. glor. 271 P: ,Nam illic est Philocomasio custos'; *Philocomasii* A; cf. 1431 ,Quis erat igitur? || Philocomasio amator' A P.

Most. 962 P: ,quoi patrem esse'; *cuius* A; cf. *Trin.* 338. 358.

Pseud. 77 P: ,Genus nostrum semper siccoculum fuit'. Loewius *Anal. Plaut.* p. 154: ,versus 77 quoniam in has reliquias exit: *oculo fuit,* A videtur *sicco oculo* exhibuisse: multo id deterius quam Palatinorum *siccoculum.*'

Stich. 8 P: ,Volo loqui de re viri. || Salvaene amabo?' ad *salvae* supplendum est *res*; cf. *Trin.* 1177; quod cum nemo facile coniectura assequi posset, in *salvine* grammaticum antecedentibus verbis adductum esse non mirum est.

Constantia quadam grammaticus Militem gloriosum recensuit, cui quam infeliciter opera cesserit, ex his locis cognosces.

V. 206 P: ,crebro commutat status'; *crebros* A. Ribbeckio, cui haec scriptura imposuit, adstipulandum non esse, qui sequuntur loci demonstrant.

V. 560 P: ,Eam fieri apud me tam insignite iniuriam'; *insignitam* A; cf. *Rud.* III 2, 29: ,Quibus insignite iniuria facta est'.

V. 569 P: ,Ne malitiose factum id abs te esse arbitror'; *Ne malitiosum factum* A. idem factum est *Epid.* 488 P: ,Em istic homo te articulatim concidit, senex'; *articulatum* A.

V. 385 P: ,Ei ambo hospitio huc in proxumum devorti mihi sunt visi'; *hospitium* A, accommodatum illud verbis *in proxumum.*

V. 211 P: ,Nam os columnatum poetae esse inaudivi barbaro'; unde *indaudivi* editores; *audivi* cum hiatu A.

V. 688 A: ,hoc nunquam verbum de uxore audias', contra morem Plautinum, quo *ex*, quod P habent, efflagitatur; cf. *Trin.* 538.

Truc. 197 P; ,Ita paene [nulla] tibi fuit Phronesium'; *sibi* A; cf. Muellerus *pros.* p. 681 adn.

Trin. 449 P: ,Verum h o c ut dixi, meus me oravit filius Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi'. *Verum hoc quod dixi* A. Ritschelius non satis habuit versum cum A edere, sed huius scriptura usus est ad versum 662, ubi AP concinunt in scriptura

,nisi . . hoc ut dico facis', ita mutandum: ,nisi hoc quod dico facis'. at contraria via procedendum est. nam ope huius loci, cui ex recensionum concordia satis gravis auctoritas inest, illum emendari par est, cuius diversa scriptura in recensionibus circumfertur. et per se facilius est ad credendum, elocutione *hoc ut dico*, quae habet aliquid insoliti, remota subditum esse *hoc quod dico*, quam in contrarium modum grammaticum correxisse. ad eandem sententiam alia quoque via adducimur, respicientes videlicet v. *Stich.* 579, in quo librorum Pal. memoria (in A versus aetatem non tulit) ,Sed ita quod occepi narrare' iam ab Acidalio emendata est ,Séd ita ut occepí narrare'. in librorum autem scriptura noli credere simplicem corruptelam inesse, sed est hic locus eis adnumerandus, quibus duplicis scripturae vestigia latent. etenim est altera scriptura eaque genuina ,Sed ita [ut] occepi narrare', in qua *ut* interceptum est, cum *quod* inreperet; cf. *Rud.* 1065. *Trin.* 897 *Poen.* 470; altera a grammatico profecta ,Sed quod occepi narrare'; unde discimus, usum particularum comparativarum *ita ut* in hac formula nescio qua de causa displicuisse correctori grammatico, pro quibus substituere maluit *quod*, idque simili modo etiam *Trin.* v. 449 factum esse videmus. sed obiecerit quispiam Ambrosianum vindicaturus v. 404: ,Estne hoc quod dico, Stasime'?; cui ego opponam v. *Asin.* 54 ,Estne hoc ut dico, Libane?'

Trin. 446 P: ,Bonís tuis rebus meas res inrides malas'; *Bonĭs ín tuis rebus* A. praepositio a Plauto non profecta est; qui si quam addere voluisset, scripsisset: ,Bonis ábs tuis rebus meas res inrides malas'; cf. *Aul.* 221: ,hau decorum facis Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me inrideas.'

Cas. III, 4, 3. 4. P: ,Ad te hercle ibam commodum. || atque hercle ego ad te'; *at* A, quod placuit Gepperto.

Most. 713 P: ,Te ipse iure optumo merito incuses licet'; *Te ipsum* A.

Transimus ad alterum caput, quo de Palatinorum recensione agendum est. cuius cum eam partem, quae est de metrorum mutatione, iam in primi capitis paragrapho prima extrema anticipaverimus, nunc disserendum est de iis locis, quibus prosodiacae rationes ansam corrigendi praebuerunt. sed cum in antecedenti capite unumquemque locum peculiari cura tractaverimus, in rationem corrigendi diligenter inquirentes et virorum doctorum iudicia singillatim percensentes, id quod necessarium videbatur,

ne iudicium, quod de Ambrosiani praestantia fere ubique circumfertur, non mediocriter immutaturi neglegentiae et levitatis incusaremur, in altero capite licebit rem brevius tractare, quia qui ad Palatinorum recensionem pertinent loci, longe plurimi cum ab aliis tum a Niemeyero iam inventi et tractati sunt; quamquam vel hac in re haud ita raro nobis contigit, ut inprimis locis apte comparatis recensendi rationem nova luce illustraremus.

Caput alterum.

§ 1.

Ex iis locis, quibus Niemeyerus (p. 24—26) correctorem prosodiae Plautinae ignorantia ad mutationem perductum esse docet, nonnulli erunt excipiendi, alii, quos ille afferre nonpoterat, addendi.

Pseud. 382

A: Éxossabo ego ĭllúm similiter ítidem ut muraenám coquos
Nonius p. 170: ego illum simulter
P: Éxossabo símilitér ego illum ítidem ut muraenám coquos·

Poen. 893 A: Fácile. ‖ fac ergo id ,fácile' noscam ego, út ĭlle possit nóscere
P: Fácile. ‖ fac ergo id ,fácile' noscam, ut īlle possit nóscere.

Poen. 988 A: Pro dei ímmortales, plúrimei [iam] ad ĭllum mod[um]
P: Pro dei ímmortales, plúrimi [iam] ad húnc modum.

itaque tribus locis vides a correctore Palatinorum correptionem prioris syllabae vocis *ille* coniectura sublatam esse.

Trin. 394

A: Sed hŏc me únum consolátur atque animúm meum
P: Sed hoc únum consolátur me atque animúm meum.

cf. *Pers.* 32 ,Sed hŏc me únum excruciat.'

Truc. 273 A: Quíd hŏc quod te rogo
P: Quíd quod te rogo.

eadem ratione memineris velim in A *hoc* remotum esse *Pseud.* 315; cf. pag. 33.

Quae exempla Niemeyerus praeterea attulit, in iis aut incertum est, num Ambrosiano obsequendum sit, aut alia corrup-

telae ansa perspicua est. velut *Mil. glor.* 182, ubi ‚iúbe hŭc transíre' A, ‚iúbe transire huc' P exhibent, elegantiae certe melius consulitur, si cum Ribbeckio Palatinos probamus. sin vero in P correctio statuenda est, quid Niemeyerum impedivit, quominus eandem statueret *Men.* 265, ubi P ‚cédodum míhi hŭc marsuppium', A ‚cedodum huc míhi marsuppium' habent?

Pseud. 330

A: Propera. quid stas? éi ăccerse agnos

P: Propera. quid stas? áccerse agnos.

Ignorare non potuit Niemeyerus, quam saepe ipse hic imperativus *i* vel *ei* in codicibus interciderit[1]), id quod hoc loco facillime excusatur, quod *a* sequitur. pusilla est etiam differentia inter *ehem* et *hem* in v. *Mil. glor.* 36, quam in Ambrosiani honorem profert, quamquam vel is, qui crisin Plautinam solummodo attigit, quam saepe in interiectionibus describendis librarii peccaverint, non potest non animadvertere. neque plus valet *Trin.* 200, ubi mera interpolatione in A *adeo* natum esse mihi videtur. ne quis afferat *Stich.* 598

A: iúben tu dómĭ cenam coqui

P: iúben domí cenam coqui

vix verendum est. nam mirum esset, si in uno eodemque versu corrector haesisset in *domĭ*, patienter vero tulisset *iubĕn domi.* recte autem Goetzius eam vocem delevisse videtur. ceterum huc pertinet etiam *Truc.* 287.

§ 2.

Ritschelius in *Pseud.* v. 223 in A legit:

Reprehendam ego h........ cuncta una opera nisi .. hodie haec omnia

Facis . ff . . . a quae loquor;

Geppertus autem (*stud.* II p. 63): ‚Reprehendam hercle ego cuncta una opera nisi quidem hodie haec omnia Facis effecta quae loquor.'

B: Reprehendam ego cuncta hercle una opera nisi

Quidem hodie tu omnia facis scelesta haec ut loquor.

recensionem in P factam esse tam manifestum est, ut longiore enarratione supersedere possim.

---

[1]) Exempla praesto sunt *Cas.* V 4, 8. *Poen.* 1309. *Pseud.* 335. 839.

Pseud. 372

Ar: Vérum quamquam multa malaque in me dicta dixistis m i h i

P: Séd quamquam multá malaque in me dícta dixistís mihi.

Usenero (*annal. phil.* 1865 p. 263) concedendum est, *in me* natum esse ex interpretatione grammatica ad *mihi* adscripta, quamquam hoc minus recte dixit, *mihi* sermonis Plautini constantia postulari; quem refutavit Niemeyerus versibus *Amph.* 742. *Asin.* 155. *Bacch.* 463 citatis. ut versus archetypi, in quem *in me* irrepserat, numeris adstringeretur, *verum* in *sed* a correctore mutatum est[1]); cum qua mutatione Niemeyerus aptius quam *Truc.* 261 (A *sed*, P *at*) componere potuit *Bacch.* 512, ubi trium versuum duplex in codicibus extat forma, quarum altera incipit a ‚Verum quam illa' ‚altera a ‚Sed autem quam illa'. similis est rerum condicio *Merc.* 267, ubi loco duorum versum, qui in A sunt

Verum hercle simia illa atque haedus m[ihi malum (?)]

Adportant. atque eos esse quos deicam hauscio

unum praebent in P:

Sed simia illa atque haedus timeo quid velint.

mero errore inter se confusi sunt *Men.* 8, ubi *verum* P, *sed* Paulus p. 28 exhibent, et *Merc.* 765, quo versu in A videtur fuisse

Non non te odisse aiebat sed uxorem suam

P: Non non te odisse aiebat uxorem verum suam

ubi ex perverso verborum ordine *verum* versui olim superscriptum fuisse colligas. de interpretationis in P factae consilio iuvat addere, quod Usenerus l. c. disputavit: ‚Die späteren Römer bedurften hier einer Erklärung; das zeigt z. B. Ter. *Ad.* I 2, 16 (96 U.): „haec quom illi, Micio, dico, tibi dico" mit der Bemerkung von Donatus: „*illi* pro *in illum* et *tibi* pro *in te*." verissime haec ille; sed hoc nondum satis cognitum est, etiam aliis locis hoc interpretationis genus conspici. namque cum in *Stich.* v. 140 recensiones ita discrepent:

A: quae viro nuptum dátur

P: quae ad virum nuptum datur,

---

[1]) Si revera in fine versus in A extat, quod Geppertus dispicere sibi visus est *dixistis impia*, in P ita quoque recensio statuenda est, Ambrosiani autem versus redit ad ‚Verum quamquam multa dicta mihi dixistis impia', cui *malaque* ex interpolatione eodem modo additum esset, atque *Trin.* 361 in A *mala multa eveniunt*, *Pers.* 386 *fama* A, *mala fama* P. cf. etiam *Truc.* 306. 312 et Schoellii *praef.* p. XIX sq. *mihi* in A interceptum putandum esset interpretatione *in me*.

eadem ratione vides auctorem Palatinae recensionis correctionem instituisse. neque aliter se habet *Mil. glor.* 24, qui versus in P, omissis quibusdam levioribus corruptelis, sic traditus:

Nisi unum epityrum apud illum estur insane bene

a Ritschelio *Op. phil.* III. p. 792 emendatus est:

Nisi unum epityrum illi estur insane bene.

etenim quod codices praebent *apud illam*, pro glossemate habendum esse voci *illi* adscripto, paene certum est. hoc sane mirandum est, quod neque in A (si modo spatiis litterarum deperditarum confidere licet), neque apud Varronem *de l. lat.* VII 86 verborum *apud illum* vel *illi* vestigium superest. *Truc.* 579 utraque scriptura simili modo atque in Pseuduli versu tradita est; quo versu cum P (Ambrosiani scriptura aetatem non tulit) praebeant ‚ad te ferre me iussit tibi Dona', de eiciendis verbis *ad te*, qui videlicet ad *tibi* interpretationis causa additi sunt, nemo dubitat, quamvis de versu restituendo ambigatur. simile, sed idem diversum est, quod perspicuitatis causa *Pers.* 576 quidam grammaticus ad *adduco* addidit *ad te*, quo facile caretur. non magis, quam hoc versu verbum ferendi, corrector quidam verbum afferendi cum dativo personae coniunctum toleravit v. *Pers.* 498, cuius anapaesticam mensuram hodie vix quisquam addubitabit. glossemate autem auctus in P sic legitur:

Nam e Persia ad me allatae modo sunt istae a meo domino. || quando? || haud dudum.

in A extat

Nam ex Persia sunt istaec adlatae mihi .... quando? haud dudum

cuius ut integra scriptura indagetur, respiciendus est versus 461, quem cum antecedentibus in P (de A nihil notum) sic legimus:

459 Sagaristio, heus, exi atque educe virginem
460 Et istas tabellas, quas consignavi tibi,
146 Quas tu attulisti mihi ab ero meo usque e Persia.

ubi cum *tabellas educere* tolerari non posse Ritschelius rectissime sentiret[1]), *ecfer*[2]) vel *adfer* addidit, deletis verbis *ab ero meo* ut

---

[1]) Quode si secus quis iudicaverit, conferat velim *Pseud.* 711

Attuli hunc. || quid? attulisti? || adduxi volui dicere,

unde quam diligenter verborum *adducere* et *adferre* significationem distinuerit poeta, optime cognoscitur: non igitur veri est simile, eum *Pers.* 461 idem vitium admisisse, quod Pseuduli loco deridet.

[2]) Cf. *Bacch.* 714.

interpolatis videlicet. ea vero nisi e versu 498, de quo agimus, aliunde arcessitos non esse probabiliter colligas ex litterarum in A deperditarum spatiis, in quae *ab ero meo* optime quadrant; quorum loco in P legitur *a meo domino.* altera differentia est, quod in A *adlatae mihi,* in P *ad me adlatae,* ac diversis quidem versus locis, legitur. ubi in P structura Plauto usitatissima ‚adferre epistulam, tabellas, sim. ad aliquem' restituta est, quam tamen correctoris coniecturae deberi locorum, quos antea tractavi, comparatio evincit; rariorem structuram ‚adferre tabellas alicui', quam A praebet, confirmant e. g. *Pers.* 461, quem supra citavi, *Curc.* 433. *Pseud.* 373. *Bacch.* 787. quapropter improbanda est Spengelii ratio, qui *ad me* in Ambrosianam recensionem transtulit, *Reformvorschl.* p. 246 hunc versum constituens:

Nam ex Pérsia sunt istaéc adlatae ad me áb ero meo? || quando? || haú dudum

quamquam sine ulla mutatione edere poterat ‚adlatae mi ab ero' e. q. s. quod vero attinet ad alteram recensionem, metri gratia ordo verborum haud mediocriter immutatus est, si quidem Palatinorum versum sic recte emendo:

Nam ex Pérsia ăd me adlataé sunt istae a meo domino. || quando? || haú dudum.

delevi igitur *modo,* quod Spengelius non sollicitavit, quamquam ipsa subsequens interrogatio *quando?* dilucidissime demonstrat, in antecedenti enuntiato illi verbo locum nullum esse; quod quomodo in versum invaserit, in propatulo est; fuit enim interpretationis causa ad *hau dudum* adscriptum. hic non omittam, prope ab hoc loco, versu eiusdem fabulae 495, in P extare scripturam, quae fortasse recensioni tribuenda est:

A: Bene dictis tuis bene [f]act[a] aures meae auxilium exposcunt

B: benedictis

Tuis bene facta aures meae auxilium expostulant.

anapaestica mensura, quae huic quoque versui vindicanda est, cum Ambrosiani tantum scriptura conciliari potest; quapropter Studemundus *de cant. Plaut.* p. 3 hos versus discripsit:

494 Unde tú pergrande lucrúm facias: faciam út mei memineris, dúm vitam

495 Vivás. || benedictis tuis benefacta aures meae auxilium exposcunt.

a qua lectione cur Spengelius (*Reformvorschl.* p. 246. 389) recesserit versum alterum coniectura sic temptans:

Bene díctis tuis in bénefactis aurés meae auxilium expóscunt,

Abraham l. c. p. 195 se intellegere negat; sed offendit illum, ni fallor, quod sententiae ultimum verbum *vivas* initio novi versus positum ab antecedentibus incommode separatur, id quod sane probabilitatem discriptionis a Studemundo institutae paullulum imminuit. sed utrum eius lectionem probes, an cum Ritschelio Spengelioque versus prioris finem constituas ‚facias: mei mémineris, dum vitam vivas' versuique insequenti alio quovis modo consulas, ad nostram rem minoris est momenti. at in P pro *exposcunt* exaratum est *expostulant*, quod, cum ubique significatione conquerendi adhibeatur, Abraham l. c. p. 194 sq. ab hoc loco alienum esse demonstravit, Niemeyerus p. 20 fortasse e recensione metrica natum esse dixit, comprobato nimirum a correctore septenario trochaico, quem Ritschelius edidit:

Béne dictis tuís bene facta aurés meae auxilium expóstulant.

qui si in codicibus quoque integrum versum expleret, de recensione metrica non dubitarem; sed quia in B *benedictis* superiori versui adiunctum est et a *tuis* novus versus incipit[1]), omninoque genuina versuum discriptio per undecim versus paene evanuit, correctorem re vera septenarium trochaicum ficturum fuisse eo minus certo contendere possumus, quod diversitatem scripturae etiam ex scribae errore repeti posse concedendum est; in comparationem vocari possunt *Pseud.* 389: ‚adduce hominem huc cito' A, ‚celeriter' P, ubi de recensione minime cogitandum; *Epid.* 487 ‚destinavit' A, ‚emit' B sine metro.

Stich. 373

A: Venit inquam. || tutin ipsus ipsum vidisti? || lubens.

P: Venit inquam. || tun eum ipsum vidisti? || ita ego lubens.

Versus in P audacter retractatus est. attamen cum *tun eum* coniecturae prorsus vulgari debeatur, *ita ego lubens* stilum vere Plautinum ita sapit, ut vix mihi persuadere potuerim, ex ingenio correctoris talem coniecturam fluxisse. sed quoniam a nulla parte Ambrosianus offensionem praebet, sat antiquo tempore mutationem egregie inventam factam esse credamus necesse est. videtur autem post recensionem factam archetypus Palatinorum

---

[1]) Unde possis etiam conicere, correctori inscito sane placuisse senarium
Tuís benefacta aurés meae auxilium expóstulant.

labem traxisse, cuius indicio ego habeo hiatum *vidistí ita*, quem sane Niemeyerus p. 8 a correctore comprobatum esse dicit.

Aptissime subnectitur v. *Pseud.* 1142

As:[1]) Quid ia.. Q............ sus ipsum praesens praesentem vides

P: Quid iam? || Quia te ipsus coram praesens praesentem vides.

te prorsus vulgari calami lapsu ex *tute* corruptum esse, Umpfenbachius vidit; cf. e. g. *Poen.* supp. 10 *tute ipse* A, *tu ipse* P sine metro. ex Ambrosiani reliquiis prodit *ipsus ipsum*, unde colligendum est, aut *ipsum* in P post *ipsus* intercidisse et correctorem metri gratia voculam *coram* inseruisse, aut *coram* ad *praesens* olim adscriptum in versum irrepsisse, cuius metro ut succurreret corrector, *ipsum* eiecerit. quomodo Ambrosiani versus constituendus sit, incertum est. nam quod Luchsius secundum *Stich.* 373 proponit ‚Quia tu eum ipsus ipsum' e. q. s., probari nequit, postquam Ambrosianum illo versu *tutin* exhibere exploratum est. exempli gratia proposuerim: ‚Quia tute ipsus ipsum', vel, spatiorum ratione quam diligentissime observata: ‚Quia enim tu ipsus ipsum praesens praesentem vides'. sed hoc videant *εὐστοχώτεροι*.

Merc. 300. 301

A: Ben[est. || malam rem] deico. || iam istuc non benest.
|| Sed ausimne ego tibi eloqui fideliter?

P: Bene est. || malam rem dico. || iam istuc non bonum est.
|| Sed ausimne ego tibi eloqui, si quid velim?

vix exemplum inveneris, quo dilucidius appareat, quomodo versus mutilos grammatici supplere studuerint. nam prioris versus finem mancum corrector ex antecedentibus verbis facile supplevit, mutata tamen in vulgarem modum elocutione inusitatiore *benest*; in altero vero tali adiumento destitutus suo Marte ad restituendum versum accessit scite profecto observato more Plautino.

Versus 300 aliorum quorundam me monet, qui simillimam perpessi sunt correctionem. nam cum *Bacch.* 502 Ritschelius

Illum exoptavit potius? habeat: optumumst

cum A scripserit, P vero *optumest* exhibeant, nunc collato *Merc.* 300 cognoscimus illam potius scripturam correctori deberi,

[1]) cf. Luchs *Herm.* VI p. 276.

id quod etiam v. 783 ‚Men criminatust? optumest!‘ demonstratur. porro quod *Stich.* 537 Goetzius ex A edidit

Apud nos eccillam festinat cum sorore uxor tua.
‖ Optumest.

cum in P *optumum est* extet, probandum est; sed miraberis, eandem scripturam ei *Asin.* 786, ubi in P diserte scripta est (*optum est* DE, *optūst* B, ut *Bacch.* 783 *optumest* B, *Bacch.* 502 *optume st* BC, *optū ē* D) adeo suspectam fuisse, ut *optumumst* scriberet, quamquam Diabolo parasiti ‚syngraphum‘ approbanti unice convenit *optumest*; cf. *Cas.* V 2, 52. *Amph.* 965; nam quae Brixius ad *Capt.* 699 praeterea citat exempla elocutionis *optumumst*, *Aul.* 237. *Truc.* 626, alia utuntur condicione; neque *Trin.* v. 1188, quem omisit

Numquid causaest quin uxorem cras domum ducam?
‖ optumumst

contra valet; immo ex nostra disputatione elucet, *optumumst* Plautinum non esse, sed alterum versus exitum, qui una traditus est, *licet*, poetae restituendum esse.

Merc. 767

A: Quid mihi molestu's? ‖ quia novisse me . . ga .

unde Loewius elicuit ‚me negas‘; Palatinae recensionis auctor versum in codice ab eo adhibito aperte mancum supplevit scribens *ais*, addito simul *non* ante *novisse*.

Mil. glor. 724

A: Qui et rem servat et s e bene habet suisque amicis u s u i e s t
P: Qui et rem servat et q u i bene habet suisque amicis u u l t —.

uult ex *usui est* litteris minusculis prave lectis natum esse Ribbeckius (*Mus. Rhen.* XXXVI p. 118) dixit; consilio autem a correctore ex initio versus *qui* in locum verbi *se* arcessitum est aut mutandi libidine, aut quod *se* in archetypo exciderat.

Stich. 66 A: ad meam maiorem filiam inviso m o d o.

quod P exhibent *domum*, aut e v. 147 depromptum aut errore natum est, ut *Most.* 583 ‚abi domum‘ A, ‚abi modo‘ P (cf. Luchsius l. c. p. 50), *Truc.* 454. *Poen.* 216 ‚modo‘ codd. pro ‚domo‘.

Stich. 90

A: Sálve mi pater. ‖ et vos ambae. ilico agite istic adsidite
B: Sálve mi pater. ‖ ét vos ambae ilico agite ascídite (CD: abscedite).

si recte Ritschelius Goetziusque *ambae* pro interpolatione habuerunt

correctorem Palatinorum *ambae* tolerasse, *istic*, ut numeris prospiceret, eiecisse credendum est. sed comparatio versuum *Poen.* 1211 Prius quam abitis, vos volo ambas; nisi piget consistite et *Bacch.* 1140 ‚ilico ambae manete: hae volunt vos' paene me movet, ut *ambae* retineam, *istic* autem in A ex v. 93 ‚non sedeo istic' interpolatum existimem.

Stich. 342

A: Ecquem convenisti? ‖ multos. ‖ at virum ? equidem plurimos

P: Ecquem convenisti? ‖ multos. ‖ at virum ecquem? ‖ plurimos

de simili in verbis inter personas distribuendis discrepantia vide p. 63.

Stich. 586

A: Valuistin bene? ‖ sustentatumst sedulo. ‖ edepol gaudeo.

‚sustentavi' P. Palatinorum memoria ut minus exquisita cedere videtur Ambrosiano; attamen hoc mihi quandam dubitationem inicit, quod v. 467 eadem verba ‚sustentatumst sedulo' leguntur, quocirca fortasse non falsus sit qui coniciat correctorem Ambrosiani, quem et alias ad versus antecedentes memoriam revocasse vidimus, ea inde in hunc versum transtulisse. itaque hunc locum noluerim pro certo recensionis documento haberi. alterum vero eiusdem recensionis exemplum, quod Niemeyerus adtulit pag. 36, *Truc.* 369 eximendum est, quando quidem Schoellius (*praef. Truc.* p. XIX) demonstravit ad eandem atque A scripturam etiam P redire.

Stich. 587

A: Edepol ne ego nunc mihi mediumnum mille esse argenti velim

B: Edepol ne egomet mihi medediã ñc mille e. q. s.

CD: Edepol ne egomet mihi mediam nunc mille e. q. s.

Cf. Muelleri *Pros. Plaut. add.* p. 144 adn. de Ambrosiani veritate non dubito; de Palatinorum vero, ex quibus CD ad archetypum propius accedunt quam B, recensione bifariam iudicare licet. potest enim ex ingenio correctoris hic versus prodiisse: ‚Édepol ne egomet míhi nunc modium mílle esse argentí velim'. sed si comparaveris Ambrosiani litteras *mediumnum* cum Palatinorum apicibus *mediumnunc*, in his nihil nisi *medimnum* latere videtur, ut sic correctoris versus refingendus sit: ‚Édepol ne egomet míhi medimnum mílle esse argentí velim'. sed utro te vertas, hoc certum videtur, syllabam *met* a correctore illatam esse, ut metri detrimentum expleret.

Stich. 699

potiusne in subselliis
A: Cynice hic accipimur quam in lecticis? ‖ immo enim nimium hic dulcius
P: Cynice accipimur quam in lecticis? ‖ immo enim hic magis est dulcius.

lecticis, quod in Ambrosiani et Palatinorum communem fontem iam irrepserat, Pius emendavit in *lectis.* aliam corrigendi viam auctor recensionis Palatinae ingressus est; delevit enim *hic* non circumspiciens veram sedem corruptelae. etiam audacius in fine versus sua verba Plautinis subiecit.

Pseud. 383

A: Núnc Caludore té mihi operam dáre volo. ‖ ecquid ímperas?
P: Séd nunc Caludore óperam mihi te vólo dare. ‖ ecquid ímperas?

Palatinorum versus retractationem arguit numerorum asperitas, quamquam ne ea quidem a Plauto aliena est; cf. v. 393: ‚Iam híc faxo aderit. ‖ pótin ut abeas? tíbi moram dictís creas.‘ accedit, quod qua de causa *sed* a correctore deletum sit, non facile quis explicet, cur interpolatum, in propatulo est, quando Pseudulus a conviciis Ballioni factis ad aliam rem animum revocat. ut hanc voculam servaret, corrector summa licentia ordinem verborum mutavit; cf. Niemeyerus p. 14.

Pseud. 432

A: Fors fuat an istaec dicta sint mendacia.
P: Forsitan ea tibi dicta sint mendacia.

correctio metrica in P statui nequit, nisi *forsitan* ad *fors sit an* redire putamus. sed correctoris consilium produnt verba *ea tibi* ita illata, ut primum *tibi* interpolaretur, unde, ne metrum corrueret, consectaria fuit mutatio verbi *istaec* in *ea*; cf. Niemeyerus p. 16.

Pseud. 737

A: Sed iste servos ex Carysto qui hic adest ecquid sapit?
P: Sed isti servos ex Carysto hic qui advenit quid sapit?

advenit verbum ex v. 730 interpolatum cum versum invasisset, corrector metri gratia vocis *ecquid* priorem syllabam resecuit. vocula *hic,* cum recensio fieret, locum ante *advenit* obtinebat, postea autem errore ante *qui* transposita esse putanda est. nam si antea iam locum mutasset, nulla mutatione facta hic versus legi poterat: ‚Séd isti[c] servos ex Carysto hic qui ádvenit ecquíd sapit?‘

Truc. 287

A: Iam h é r c l e i s t o s fictós compositos críspos cincinnós tuos

P: Iám e g o i s t o s fictós compositos críspos cincinnós tuos.

recensionem in P factam esse non praefracte negaverim, sed sunt quae dubitationem moveant; nam mirum est correctorem induxisse mensuram *iám ego*, quamquam vulgarem normam sequi licebat in hunc modum: ‚iam hércle istos‘; praeterea si memineris *Pseud.* 626 ‚tíbi ego dem‘ P, ‚tibi hercle dem‘ A, et *Men.* 301, ubi in P post *hercle* excidit *ego*, hic quoque post *ego* excidisse *hercle,* quod in libris saepissime scriptum est *ercle*,[1]) non absonum est putare. ceterum Buechelero adsentiendum videtur, qui numerorum elegantiae sic consuluit:

Iam hércle ego istos fíctos c o m p t o s críspos cincinnós tuos

Truc. 290

A: Quíaque bucculas tam belle purpurissatas habes

P: Quíaque istas buccás tam belle púrporissatás habes.

postquam pro verbo deminutivo vox *buccas* oculorum errore scripta est, metri gratia auctor recensionis Palatinae *istas* versum 287 imitatus addidit. cf. Nimeyerus p. 6.

Truc. 296

A: Scío ego plus, quam t u á r b i t r a r e s c í r e m e. ‖ quid id ó b s e c r o s t

P: Scío ego plus quam m e á r b i t r a r e s c í r e. ‖ quid id e s t ó b s e c r o.

In A bene se habet *tu* oppositum voci *ego*; cf. *Cas.* II 3, 27. quod cum ab eo, qui Palatinorum archetypum descripsit, neglectum esset, scite profecto auctor recensionis verba poetae ita transposuit, ut nemo recensionem detegere potuerit, nisi Ambrosianus aetatem tulisset.

Merc. 271

A: Sed conticiscam: nam eccum it vicinus foras

P: Sed conticiscam: vicinum eccum exit foras.

Niemeyerus p. 6 demonstravit vocem *eccum* nominis ad quod spectat praepositi nominativum tantum casum, non accusativum admittere. nominativum vero restituere cum in P per metrum non liceat, apparet Palatinorum versum correctori deberi; neque minus in illo Niemeyero adsentiendum est, quod ex voce *exit* pro *it* arbitrio librarii scripta turbas ortas esse censet.

---

[1]) E. g. *Trin.* 717. *Men.* 618. 619. *Most.* 469. 585. *Asin.* 450.

Merc. 480

A: Plúrimum tu sceís, sed qui sccis, méam esse amicam illám —

P: Plúrimum tu scís, sed qui scis, ésse amicam illám meam.

collocatio verborum quam A praebet exquisitior non minus, quam mensura *méam esse* demonstrant Ambrosiani versum e communi utriusque recensionis archetypo in fine versus manco accurate descriptum esse. Palatinos autem qui recensuit orationis defectum obscuravit verbis transpositis; cf. Niemeyerus p. 19, qui in A *rogas* vel *enicas* supplet.

Most. 671

Ag[1]): Si quidem tu argentum reddituru's, tum bona

P: Si quidem es argentum redditurus, tum bona.

ut ponamus Geppertum in A recte legisse, corrector Palatinorum *es*, quod in *redditurus* iam contineri non animadvertit, pro *tu* Plauto obtrusit.

Pers. 321

A: argentum hic inest, quod mecum dudum orasti

P: argentum hic inest, quod me dudum rogasti

vides grammaticum, cum structuram rariorem *orare cum aliquo* removeret, metro quoque diligenter prospexisse illato verbo rogandi, id quod omisit qui *Merc.* 530

Ego té redemi [illi]: ílle me oravit. ‖ animus redieit

scripsit pro *mecum*, quod in A est. nec in A deest eadem correctionis ratio; nam *Vid.* II 29

Quam me oravisti, ut darem tibi faenori

facillime emendatur reposito *mecum*. hic non omittam memorabilem codicis B in v. *Most.* 748 scripturam commemorare; qui cum exhibeat *orogo*, et *oro* et *rogo* vides subesse. gemellum exemplum est *Men.* 825 in codicibus Palatinis sic traditus:

Iam vero Menaechme, satis iocatus: nunc hanc rem agere.

in *agere* latet *age* et *gere; age* recepit Ritschelius scribens ‚satis iocatus es: nunc hanc rem age'; pro quo cum Studemundo aliisque nulla littera addita scribendum ‚satis iocatu's: nunc hanc rem gere'. cf. etiam *Bacch.* 477 *gerere* CD, *agere* B sine metro.

Poen. 1275

A: Cum hac me laetitia adfecistis tanta et tanteis gaudieis

P: Quom hac me laetitia tanta et tantis adfecistis gaudiis.

[1]) Cf. Geppertus *stud.* II p. 78.

quo loco nisi casum miro modo valuisse credimus, nihil relinquitur, nisi ut Palatinorum grammaticum iambos legisse sumamus, ut legit Ambrosiani corrector eiusdem fabulae vv. 368. 910; cf. p. 63.

Trin. 71

A: Nisi tu me mihimet censes dicturum male

P: Nisi tute mihi me censes dicturum male

cf. Niemeyerus p. 33.

Stich. 331

A: Respice ad me et relinque egentem parasitum, Panegyris

P: Respice me ét relinque egentem e. q. s.

in P correctionem metricam statuo: offendit enim grammaticus in ‚réspice ad me ét relinque', quod ne novissimus quidem editor probare debuit. ni fallor, in utriusque recensionis archetypo ex correctione, qualem frequentissime inveniri infra videbimus, *relinque* scriptum fuit pro *linque*:

Respice ad me et linque egentem parasitum, Panegyris.

cf. *Pseud.* 140 sq. ‚ut mavelis lupos apud oveis linquere, Quam hos domi custodes'. *Asin.* 280 ‚eros in obsidione linquet'. *Cist.* III 12 ‚lumen linque' (= morere). atque huic coniecturae fidem facit, quod sic alter quoque locus persanatur.

Cas. II 3,33

Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.

quem cum antecedant octonarii, sequantur septenarii trochaici, hunc solum versum per iambos scripsisse poetam a probabilitate abhorret; nec potest trochaicus legi correpta verbi *rélinque* altera syllaba, de quo cf. Muellerus *Pros. Plaut.* p. 251 sq. itaque mecum scribas:

Linque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.

Tertium affero *Bacch.* 496, intricatissimae condicionis locum in utraque recensione turbas perpessum.

A: Melius multo me quoque una si cum hoc[1]) relinqueres

P: Melius esset me quoque una si cum illo relinqueres.

esset in communi archetypo fuisse ostendit ‚si — relinqueres', quod A quoque praebet; quod si reponimus, talis versus in archetypo illo fuisse credendus est:

Melius esset multo me quoque una si cum hoc relinqueres,

ubi *linqueres* metrum bene restitueret. aliam viam ingressus est, qui Palatinam recensionem condidit: verbo *multo* sive casu sive

---

[1]) Sic Geppertus *stud.* II p. 33. Ritschelius in A legit *illo*.

de industria omisso *illo* coniecit, intolerandum accentum poetae tribuens. sed versus, quem communi utriusque recensionis archetypo restituimus, ne ipse quidem a Plauto profectus est. etenim structura ‚melius esset, si . . . relinqueres' tam ab huius loci sententia (cf. Muellerus *Pros. Plaut.* p. 251) quam a consuetudine Plauti, qui nihil nisi ‚meliust — relinquere' scribere poterat, abhorret. quae cum facili opera non removeatur, ars nesciendi exercenda erit.

Egimus supra pag. 46 sq. de nonnullis locis, quibus in A a correctore personae verbi licenter mutatae sunt; quales ne a P quidem absunt, sed paene pusilli sunt omnes, ut aut levibus erroribus debeantur, aut a grammatico satis stulto factae sint, quoniam fere ubique ne tum quidem, cum altero fonte uti nondum liceret, eius offuciae quemquam deceperunt.

Trin. 552 Acidalii coniectura ‚istoc detrudi maleficos Aequom videtur, qui quidem istius sit modi' Ambrosiano comprobatur; *sint* P; similis est *Trin.* 801.

Mil. glor. 66 A: ‚Itane aiebant tandem'; P: ‚Itane aiebat tandem' propter v. 62 sq. ‚ibi illarum altera inquit'.

Mil. glor. 382 A: ‚Quid somniasti? || eloquar: sed amabo advortite animum'. *advortito* B² CD. *advortit* B¹. utrumque defendi potest et fortasse diversitas ex scaenica recensione nata est.

Trin. 1050 A: ‚Si quoi mutuom quid dederis, fit pro proprio perditum'; *dederit* P errore fortasse propter insequens *fit*.

Mil. glor. 49 ‚memoria es optuma' A; *est* P.

Mil. glor. 397 A: ‚Timeo quid rerum gesserim: ita dorsum totum prurit'; *gesserit* P, ad *dorsum* videlicet relatum.

Epid. 685 A: ‚Ilicet: vadimonium ultro mi hic facit!' *facis* P, cuius mutationis auctor *hic* pro adverbio habuisse videtur; de corrigendi ratione vide quae de *Truc.* 263 p. 51 disputavi.

Pseud. 915 A: ‚At hoc volo monere te. || monendus (*sive* monendu's:) ne me moneas'; *moneat* P.

Stich. 146 A: ‚Nunc places, quom recte monstras'; *placet* P, quod iam Gulielmius correxit.

Trin. 1062 Acidalius et A: ‚Sed si non dicto audiens est, quid ago?' *es* P, rerum condicione non perspecta. contra altera persona recte in codicibus legitur v. 1064, ut insequens versus demonstrat. proclivi errore v. 1068 ‚si eris meritus, fies' in P scriptum est pro *fiet*, quod A praebet.

Truc. 230 A: ‚Quin ubi nil det, pro infrequente eum mittat (meretrix) militia domum'; *mittas* P.[1])

Poen. 1372 duplex memoria in P servata est; ubi cum A praebeat ‚Quam rem a g i s, miles?', in P est *agitis*, i. e. ‚Quam rem agis miles?' et ‚Quam rem agit miles?'; cf. quae supra p. 65 de simillimo loco *Epid.* 614 dixi.

Qui loci gravitate longe cedunt eis, quibus A eiusmodi mutationes ostendit; neque enim deerunt, qui omnes has diversitates a me allatas (et extant etiam aliae, quas afferre prorsus inutile est) librariis tribuant.

Mil. glor. 357

A: Age n u n c i a m insiste in dolos: ego a te[2]) procul recedam
P: Age i a m n u n c insiste in dolos: ego abs te procul recedam.

eadem est corrigendi ratio, quae in A *Poen.* 746; cf. p. 58.

Ab hoc correctionis genere, quod adhuc tractavi, alienissimi sunt *Casinae* potissimum plures loci, quibus sententiae tantum detrimento provisum est, metri nulla ratione habita; ex quibus hos affero: III 6,19 ‚nihil moror barbarico b l i t e o' A, *ritu* P; III 6,21 ‚qui me atque te i n t e r i m a t' A, *invitat* P; V 2, 8 ‚Seic tamen tenebrae ibi oriuntur tamquam i n p u t e o' A, *nox* P. unde dubitatio exoritur, utrum coniecturae velut III 6, 1 ‚qui vero sunt sentes?' pro ‚quid vero? ut sunt sentes?' recensioni antiquae tribui possint an potius ab eodem magistello vel librario pro-

---

[1]) Consentaneum est, praeterea non paucos extare locos, quibus in A et P prorsus inepte personae verbi corruptae sunt; exemplum luculentum habes *Mil. glor.* 182 ‚Si istist, iube transire huc quantum possit, se ut videant domi Familiares', ubi *possint* A, *videat* P manifesto errore praebent; cf. etiam *Trin.* 463 ‚verum hercle hic dicit' P, *dico* A, quod sensu cassum est; *Mil. glor.* 49 ‚offae monet' P; *Mil. glor.* 1166 *dicas* CD recte, *dicat* B; 1426, carebis testibus' A, *carebo* P. *Stich.* 486 ‚Si possim, velim' AP, quod dudum correctum est in ‚si possit'. et huius modi alia. unum non omiserim exemplum, in quo vera et subditicia scriptura una servatae sunt. namque ut in A *Epid.* 614 ‚Quid agitis mea commoditas' nihil est, nisi ‚quid agis' et ‚quid agit', ita *Mil. glor.* 228 ‚Magnam illic, homo, rem incipissed, magna munitis moenia' in *munitis* latet *munit* et *munis*, quorum hoc rectum est, illud a correctore *illic homo* pro subiecto sententiae habente coniectum est; in *incipissed* i. e. *incipissit* genuina scriptura iam periit. Ambrosiani testimonio caremus.

[2]) *a te* A male, ut *Mil. glor.* 478. *Trin.* 325; cf. Studemundus *Verhandl. d. 36. Philol. Vers.* p. 63.

fectae sint, qui mutationes supra allatas in verba poetae intulit. simile est, quod in *Poen.* 587 habemus:

A: Quam hi sunt, qui, si nihil est, quicum litigent, lites emunt
P: Quam hi sunt, qui, si nihil est litium, lites emunt.

Denique restant quaedam inter A et P discrepantiae scripturae in cantico illo *Trinummi*, quo nullum magis ingenia summorum philologorum exercuit. de quibus brevissime referam, cum in summa de metris dubitatione iudicio abstinere quam futtilia proferre malim.

Atque *Trin.* 236 iam nunc ex Langeni (*Beitr.* p. 139) disputatione dubium non est, quin recte P ,quem ad modum expediant' exhibeant, quo usus Schoellius in Trinummi tertia editione Lindemannum Ritscheliumque secutus versum edidit:

Omnium primum amoris arteis quem ad modum expediant eloquar

eloquar quemadmodum expediant' P; ,eloquar quemadmodum se expediant' A, ubi *se* aut a grammatico additum est, aut, si ad ipsum auctorem recensionis redit, octonarius ab eo hic effectus est:

Omnium primum amoris arteis eloquar, quem ad modum se expediant.

V. 238 ,eos petit, eos sectatur' A; ,eos cupit eos consectatur' P, aut diversam recensionem ostendentes aut meris glossematis aucti. sed cf. Buechelerus *Mus. Rhen.* XXXVII p. 477.

V. 242 ,quom extemplo saviis perculsus est' A, ,quom extemplo savis sagittatis percussus est' P (*percussust* B), ubi Fleckeisenus Ritscheliusque *sagittatis*, videlicet ,ex interpretatione' natum, reiecerunt, Bergkius Kiesslingius Loewius (cf. Schoellius *Trin.*[3]) Spengelius (*Reformvorschl.* p. 58. 418 sq.) retinuerunt, hic cum aliis anapaestos dimensus:

Nam quí amat quod amat quom éxtemplo
Saviís sagittatis pércussust.

Schoellius autem de composito ,savisagitta' cogitans, scribit: ,Nam qui amat, quod amat quom extemplo eius savisagitta disperculsus est'. qui si recte iudicaverunt, in A correctio metrica statuenda est.

V. 257 ,haec ego Quum cum animo meo reputo' A [1]), ,Haec ego cum ago cum meo animo et recolo' P. *ago* reiecerunt

[1]) Ubi quod *haec ego* in A superiori versui additum est, possit aliquis ad recensionem metricam referre eo consilio susceptam, ut duorum versuum metrum idem constitueretur:

Ritschelius trochaicos, Spengelius Brixius al. anapaesticos numeros constituentes; ‚ago cum meo animo' locutionem exquisitissimam servandam dixit Schoellius *Trin.*[3] ad v., cuius et *reputo* (A) et *recolo* (P) interpretamenta habet.

V. 262 ‚ipsus se[m] ab suo contutu' A, ‚ipse se a suo contutu' P male.

V. 264 *abstandust* A recte; cf. Schoellius ad v. *aptinendus* P ex diversa recensione.

V. 266 *ΑΠΑΓΕΤΕ* graece A; *apage sis* P, Donat. in Ter. *Eun.* IV 6, 18, ubi Ambrosiani scripturam haud dubie cum Schoellio reicio; eodem versu *habeto* A recte; *habe* P.

V. 267 *amicus mihi* A bene; *mihi amicus* P. *umquam* P, quorum versus secundum Studemundum Schoelliumque sic metiendus est:

Ámor amicús mihi né fuăs úmquam.

umquam omitit A, undi puri cretici evadunt

Ámor amicús mihi né fuas.

V. 270 A: ‚Certa est res ad frugem applicare animum', quo nisus Ritschelius: ‚Cérta res est ad frugem adplicare animum', nunc Schoellius: ‚Cérta rest ádplicare ád frugem animum'. P: ‚Certumst ad frugem adplicare animum', quod per anapaestos, ut totum hunc ordinem versuum, Spengelius legit: ‚Certúmst ad frugem adplicáre animum'; cf. *Mil. glor.* 444 *manufestaria's* Ritschelius, *manifestaria res est* P.

V. 271 ‚Quamquam ibi animo labos grandis capitur' P. in A errore, ut videtur, *animo* excidit.

V. 282 *neq. ullum* A i. e. *necullum*; *ullum* P remota forma prisca metroque turbato.

V. 287 *dies noctes* A; *dies noctesque* P; cf. v. 302 *imperiis et praeceptis* A P, metro pessumdato, *imperiis praeceptis* Bothius; vide etiam 298.

V. 293 ‚Hisce ego de artibus' P recte; *his* A.

V. 298 ‚facceos mores Turbidos' A; *et turbidos* P.

Horum locorum agmen claudat *Stich.* 77—81, de quibus tamen post multiplices virorum doctorum curas satis habeo significare, mihi persuasisse Langenum *Beitr.* p. 147 et Goetzium, qui ipsi sane inter se haud mediocriter discedentes in eo consentiunt, ut in utraque recensione retractatorum operam apparere dicant,

---

Fit ipse dum illis comis est
Inops amator haec ego,

quos vel in unum octonarium fortasse corrector metricus coniungi voluit.

cum Niemeyerus p. 29 sqq. locum in P tantum correctum esse contenderit.

§ 3.

Restat, ut de Palatinorum locis ad rationes proprie grammaticas retractatis agamus eandem normam tenentes, de qua exposuimus p. 66. atque in P tales scripturas novicias paullo saepius invasisse quam in A, mirum non est, quippe qui aetate longe inferiores sint. itaque iterum monuerim, ne ex talium mutationum frequentia de ipsius recensionis pretio iudicium fiat.[1]) collegi autem hos locos:

Truc. 380. 381

A: Verum tempestas quondam dum vivixi fuit,
Cum inter nos sordebamus alter de altero

P: Verum tempestas memini quondam fuit,
Cum inter nos sorderemus alter alteri.

in iudicio de priore versu faciendo nolo periclitari nihil effecturus. in altero hoc memorabile est, diversis rationibus utramque recensionem retractatam esse. Ambrosiani enim scripturam grammatico deberi dativum non recte interpretanti versus 379 ,Num tibi sordere videor? ‖ non pol mihi quidem' evincit. Palatinae autem recensionis auctor indicativum a voce *cum* pendentem, quem improbabat, removit ad posterioris aetatis consuetudinem emendans *sorderemus*.

Pseud. 612

A: Non soles respicere te, quom dicis iniuste alteri

P: Non soles respicere te, quom dicas iniuste alteri,

quocum optime comparari potest, quod versus *Aul.* 178 in libris nostris traditus est

Praesagibat mi[hi] animus frustra me ire, quom exibam domum,

a Cicerone autem (*de divin.* I 31, 65) sic citatur:

Praesagibat animus frustra me ire, quom exirem domum,

ubi tam coniunctivus quam omissum verbum *mi* fortasse ipsi Ciceroni e memoria versum citanti debetur. sed in codicibus quoque quibusdam a P diversis eadem scriptura novicia extitit *Epid.* 138, quem P sic tradunt: ,Desipiebam mentis, cum illa

[1]) Vel eo temporis spatio, quod intercedit inter codicem Veterem et Decurtatum Ursinianumque exaratos, novae labes accesserunt: velut *Stich.* 384 ,iam ego non facio auctionem' AB, *faciam* CD. *Cas.* III 4, 1 ,Viso huc amator si a foro rediit domum' AB, *redierit* Parisinus Gepperti. *Poen.* 924 ,nunc est, cum me commoror A; *moror* B, *morer* CD.

scripta mittebam tibi', Nonius autem p. 499, 1: ,Desipiebam mentis, cum illa scripta mitterem'; neque otiosa est coniectura hanc fuisse Ambrosiani scripturam. in mentem autem revocaverim legentibus in *Truc.* v. 190 similem mutationem in A factam esse, cum pro ,ubi te videbit' scriptum sit ,te ubi videret'; cf. p. 48.

Modus interrogationibus obliquis usitatus in Palatinis restitutus est

Bacch. 529 ,animus meus miratur, quid remoretur' A; ,quid remoratur' P.

Pseud. 3. 4 Si ex te tacente fieri possem certior,
Ere, quae miseriae te tam misere macerent.
sic A; cf. Beckerus l. c. p. 139. *macerant* P.

Pseud. 263 ,nunc qui sit ipsus sciat' A; ,qui est is' P; cf. Beckerus l. c. p. 253.

Cas. III 5, 15 ,timeo hoc negoti, quid siet' A; ,timeo hoc negotium quid est' P; sed cf. quae de Casina in P tradita in universum dixi p. 87. simile vitium est in A *Poen.* 1306 ,quid tibi negostist' P; ,quid tibi negotiumst' A.

Pseud. 866 ,quaeso qui possum doce' A; *possim* P. Beckerus p. 139: ,cuius recensionis auctor coniunctivum potentialem statuisse videtur.'

Pers. 338 A: ,Tuin ventris causa filiam vendas tuam?' *vendis* P.

Cas. III 5, 18 A: ,nisi scio, quidquid hoc est, cito'; *sit* P. cf. Beckerus p. 183.

Pseud. 433 ,Si sint ea vera — quid mirum fecit' A; ,si sunt ea vera' P.

Stich. 149 A: ,neque tu me celassis, quod scias'; *scies* P.

Stich. 171 A: ,Nunc si ridiculum quaerat hominem quispiam'; *quaeret* P.

Cas. epil. 5 A: ,Qui id faxit, clam uxorem ducet semper scortum, quod volet'; *ducat* P.

Trin. 640 ,neque mens officio migrat Nec tuis depellar dictis' A; *depellor* P propter antecedens *migrat*.

Cas. II. 2, 2 ,ecquis haec, quae loquor, audit?' A; *loquar* P.

Epid. 225 A: Útin impluvium indúta fuerit? || quíd istuc tam mirábilest?
P: Útin impluvium indúta erit? || quid ístuc tam mirábilest?

cf. 282 ,Iám igitur amóta ei fuerit omnis consultatio' Lindemannus; *erit* P.

Pers. 313 A: ,Nam ubi quí mala tangit manu, dolores cooriuntur'; *tetigit* P.

Sat saepe imperativorum formae confusae sunt.

Epid. 601 A: ,intro abi: habe animum bonum'; *habeto* P. contra *Trin.* 266 A: ,tuas res tibi habeto'; *habe* P, ubi, cum de metro nondum satis constet, diiudicare non ausim.

Men. 690 *habe* P cum hiatu, *habeto* Ritschelius.

Stich. 256 A: Nega esse quod dem

P: Negato esse quod dem.

ne hic quidem iudicium prorsus constat ob incertam versus restitutionem. simile est, quod *Pseud.* 301 Ritschelius cum Festo p. 391 scripsit:

Emito die caeca hercle olivum, id vendito oculata die,

eme (A ?) P.

Pseud. 886 *gustato* A; *gusta* P sine metro. cf. *Pseud.* 1073 ,Roga obsecro hercle: gestio promittere' Bothius, ut v. 116; *rogato* P. *Poen.* 872 ,Nólito edepol dévellisse' P; *noli* A cum hiatu.

Mil. glor. 52 ,Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul Ni hebes machaera foret, uno ictu occideras' A; *occideris* P. Langenus *Beitr.* p. 46: ,Sehr bezeichnend ist der Indikativ: sie waren schon fast verloren, leider war nur das Schwert zu stumpf'.

Pseud. 276 ,Si tu argentum attuleris, cum illo perdidero fidem' A; *perdiderim* P, quod pro potentiali accipiendum videtur.

Pers. 20 ,Mihi quidem tu iam eras mortuos, quia te non visitabam' A; P minus bene *visitavi*.

Denique P, quod hic apponere liceat, formas novicias praebent *Poen.* 432 ,abiturusne es?' *Cas.* III 4, 20 ,missurusne es?' ubi A ,abiturun es' et ,missurun[tu] es' (ex Gepperti collatione) praebet.

Sequuntur loci quidam, quibus utriusque recensionis scriptura consuetudini dicendi Plautinae pariter convenit.

Pseud. 1184 ,chlamydem hanc commemora quanti conductast' A; *commemores* P; cf. v. g. 1015 ,argentum des, abducas mulierem'.

Pseud. 657 ,Scin quid te oro' A; *orem* P; cf. Beckerus l. c. p. 277 adn.

Cas. IV 4, 15 ,Malo, si sapies, cavebis' A; *sapis* P; cf. *Bacch.* 1002 ,non dabis, si sapies' BD, *sapis* C^1, *sapes* C^2. 1026.

1027 ,ne unum quidem nummum (dabis), si sapis'. *Trin.* 559 ,Meus quidem hercle nunquam fiet. || si sapies quidem'. *Mil. glor.* 476 ,si sapis, mussitabis'.

Pusilla sunt, quod *Trin.* 558 in A est: ,Quin hic cupit illum ab se abalienarier, si quem reperire possit, quoii os sublinat', quodcontra P *posset* praebent; porro quod *Stich.* 509 A in fine versus recte exhibet *credetur tibi*, P *creditur* praebent eodem errore, quo *Epid.* 24 eadem versus sede *redditur* pro *reddetur* scriptum est. neque aliter iudicandum est de *Mil. glor.* 208 ,Quidquid est, incoctum non expromet, bene coctum dabit' A; *expromit* P. *Truc.* 262 *comprimas*, quod P pro *comprime* (sic A) exhibent, errore propter antecedens *solitas* scriptum est.

Palatini quatenus ceteroquin recensionem grammaticam experti sint, iamnunc enarraturus, hic quoque locos, quibus eam iam agnovimus, breviter repetam. *Merc.* 300 *benest* in *bonumst*, *Stich.* 537 *optumest* in *optumumst* mutatum, *Pseud.* 432 forma vetustior *fors fuat an* in *forsitan* novata, *Pers.* 321 insolentior structura ,quod mecum dudum orasti' remota est vulgari ,quod me dudum rogasti', *Merc.* 271 ,eccum it vicinus foras' transiit in ,vicinum eccum exit foras', *Most.* 671 cum in ,si quidem tu argentum redditurn's' verbum substantivum correctori deesse videretur, scripsit ,si quidem es argentum redditurus'. *Stich.* 331 metricis sane magis quam grammaticis rationibus ductus corrector admisit structuram *respice me* pro ea, quae Plautina est *respice ad me.* accedunt hi loci:

Trin. 659 ,proinde ut merere' A ,proinde ac merere' P. *proinde ac* ferri posse Langenus *Beitr.* p. 295 sq. demonstravit; sed quia quod A hic praebet viciens in Plauto legitur, *proinde ac* vero uno tantum praeter hunc loco extat (*Amph.* 583, ubi a Goetzio receptum est) Palatinorum memoriam proclivi coniectura natam esse putamus.

Epid. 455 ,hic non est locus: Proin tu alium quaeras, quoi centones sarcias' A; *quin* P; quorum corrector cum vim vocis *proin* adhortativam ignoraret, voluisse videtur *quin-quaeris?*

Trin. 651 ,In foro amicis operam da, ne in lecto amicae' A; ubi non a limine reiecerim quod P habent ,haud in lecto amicae'; cf. Bergkius *Opusc.* I p. 634. Ritschelius *Prol.* p. LXVIII=*Op.* V p. 326.

Merc. 757 ,quin abis?' A; ,non abis?' P. cf. *Poen.* 1307 *qur*

non AP pro *quin*. *Stich*. 208 ,nam curiosus nemost, quin sit malevolus' A; *qui non* P metro passumdato.

Stich. 523 ,Iam redeo. nimiast voluptas u[bi dudum] [1]) afueris domo, Domum ubi redi[eris, sei t]ibi null[ast ae]gritudo animo obviam' A; ,si diu afueris (a) domo' et ,domum si redieris' P. in utraque recensione in contrariam partem peccatum esse videtur; etenim ut utroque loco A *ubi* praebere videtur, ita in P bis *si* exaratum est. quarum vocularum commutatio non hic tantum facta est; cf. *Pers*. 347, ubi AP et Festus p. 294 hunc versum praebent ,Nam ad paupertatem si admigrant infamiae' [2]), Nonius ita citat p. 177: ,Ubi ad paupertatem accessit infamia[m]'. gravissimi momenti est *Bacch*. 898 a Leidolpho *de Festi et Pauli loc. Plaut*. p. 231 sollerter tractatus. a versu enim, quem P praebent,

Qua (*sc*. machaera) quidem te faciam, si tu me inritaveris,
Confossiorem soricina naenia

non mediocriter distat, qui ex Festi p. 161 reliquiis prodit:

[Qua quidem] te reddam u[bi tu me inritaveris].

qui cum et eandem, quae *Pers*. 347 inter recensiones extat, diversitatem monstret et alteram sanequam memorabilem *faciam* et *reddam*, quin Ambrosianae recensioni, qua usum esse Verrium Flaccum Leidolphus demonstravit, assignandus sit, dubium nemini erit. in quo faciendi verbo non multis locis cum participio perfecti passivi coniuncto substitutum est verbum reddendi, quo saepissime in eiusmodi structuris utitur Plautus. itaque ni omnia fallunt, hac quoque occasione data deprehendimus Ambrosiani correctorem ad normam severioris artis grammaticae Plautum recensentem. ad quem eundem nescio an correctio versus *Truc*. 190 (cf. p. 48), quo *ubi* aperte significatione condicionali (= *si*) accepit, redeat.

Dubium est iudicium de *Pseud*. 414 ,Nunc huc concedam, unde horum sermonem legam' A; *ut* P non minus recte.

Denique non omiserim *Mil. glor*. 114 B praebere ,Ut amicam erilem Athenis avectam scio, Ego . . . mihi navem paro', cum CD *ubi amicam e. q. s.* ostendant.

---

[1]) Sic dubitanter lacunam Ambrosiani expleo; *ubi* fere certum est, *dudum*, si in A extitit, a Plauto profectum non est.

[2]) Festus *nam* omisit, *immigrant* pro *admigrant* scripsit memoriae ut videtur lapsu, unde etiam scripturae Nonii discrepantes repetendae sunt.

Trin. 277 ,impera quidvis' A; *quodvis* P.

Truc. 382 ,quod facinus audivi?' A; *quid* P.

Talia a grammaticis posterae aetatis illata esse demonstrant *Merc.* 516 ,quid nomen tibi dicam esse' AB; *quod* CD. *Men.* 341 ,quid ei nomen siet' CD; *quid* B. 1131 ,quid erat nomen nostrae matri' CD; *quid* B. *Amph.* 364 ,quid nomen tibist?' B; *quod* DE.

Ambiguum est iudicium de his locis:

Men. 301 ,qui homo sis' A; *quis* P. cf. *Truc.* 135 ,quis is homost' AP.

Merc. 474 ,quis me revocat' A, *qui* P. *Epid.* 250 ,qui id dixit tibi?' A; *quis* P; neutro loco utra recensio verum servaverit diiudicari potest; nam *qui revocat?* in AP habes *Truc.* 116.

Pseud. 1284 ,adesse me aliquis nuntiate' A; *quis* P. cf. *Stich.* 84 *quom* (= *quam*) A, *aliquam* P sine metro.

Truc. 305 ,nihil mirum' A; *non* P.

Pseud. 232 ,Nihil curassis: liquido's animo: ego pro me et pro te curabo' A; in P quod extat *bene curassis* ratione prorsus destitutum est ideoque non recensioni sed errori tribuendum est; redit autem ea scriptura, ut videtur, ad *ne curassis*, quod a grammatico profectum esse non negabo.

Cas. V 2, 4 ,pudet, quem prius non puditumst' A; ,pudet quod' P; cf. *Truc.* 267 p. 70.

Pseud. 378 ,frustra es, qui' A; *frustra est quod* P.

simili modo, quod nunc addere liceat, in A *Trin.* 47 ,sin aliter es' (sic P) correctum est in ,sin aliter est'. neque enim hanc elocutionem nisi impersonaliter adhiberi posse corrector persuasum habebat.

Ad idem correctionis genus, quod in *Mil. glor.* cummaxime observavi p. 71, pertinent

Stich. 120 ,id minumest malum' A; id minumumst malum' P.

Stich. 241 ,Certo mecastor id fuit nomen tibi. ‖ fuit disertim' A; *disertum* P.

Men. 521 ,Faxo haud inultus prandium comederis' A; *inultum* P.

Mil. glor. 488—490

A: Ita me ludificant. meamne hic invitam hospitam,
Quae heri huc Athenis cum hospite advenit meo,
Tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam?

P: Ita me ludificant. meane hic invita hospita,
Quae heri huc Athenis cum hospite advenit meo,
Tractata et ludificata, ingenua et libera?

P in primo versu exiguas genuinae scripturae *meamne* reliquias servarunt in *meamane*, quod B[1] CD praebent. sed iidem cum omnes, si a secunda manu codicis veteris recedimus, *invita hospita* tradant et in tertio versu ubique nominativos ostendant, de consilio corrigendi non erit dubitandum.

Pseud. 739 ,Ecquid autem homo habet aceti in pectore? || atque acidissumum' A; *atque acidissumi* P[1])

Stich. 89 ,ferre advorsum homini occupemus osculum' A; *hominem* P, accomodatum nimirum praepositioni *advorsum.*

Pseud. 1007 ,perge opera experirier' A, *operam* P, ad verbum obiecti vice relatum.

Epid. 162 ,Non enim nunc dormitandi neque cunctandi copiast' A, *dormitandum* (sc. *est*) P. cf. *Stich.* 280 ,Nunc tibi potestas adipiscendi est gloriam' P; *adipiscenda* A.

Truc. 300 ,Nemo homo' A; *nemo hominem* (i. e. *hominum*) P secundum vulgarem dictionem. de quo loco in contrariam partem iudicavit Ribbeckius *Mus. Rh.* XXXVII p. 417. etenim in *nemo hominem* agnoscere sibi videtur scripturam vere Plautinam *nemo enim,* quae similem depravationem perpessa sit atque v. 172 *tam enim* (codd. *a momini*). in A ad scribendi errorem accessisse emendandi consilium, quo *nemo homo* natum sit. qua in re me quidem adsentientem non habet; nam *nemo homo* apud Plautum rarius est (duobus locis me legere memini *Vid.* II 8, *Pers.* 211), quam quod coniecerit grammaticus.

Poen. 1304 ,adire certumst hanc amatricem Africam' A; *hanc ad amatricem* P, ubi consilium corrigendi ex praepositionis collocatione perspicuum fit.

Cas. II 2, 15 ,vir me habet pessumis despicatu modis' A, *despicatam* P. cf. Bentleius ad Ter. *Eun.* II 3, 93.

Merc. 553 ,id iam lucrumst, quod vivis' A; *lucro* P, ad exemplar vv. *Asin.* 192. *Men.* 356, ut videtur, scriptum. *Pers.* 713 ,verum fecisti lucri' AB, *lucrum* CD.

Bacch. 947 ,Mnesilochust Alexander, qui erit exitio rei

---

[1]) In simili rerum condicione P utramque scripturam servarunt *Truc.* 425 ,Non audes aliquid, mi anime, dare munusculi'; sic Brixius. *munusciuilim* B, *munus ciuilium* CD, in quibus scripturis tam *munusculum* quam *munusculi* latet.

patriae suae' A; *exitium* P; cf. 1054 ,Scivi ego iamdudum fore me exitium Pergamo'; sed *exitio* in P est 953 ,fata quae Ilio forent exitio', ubi ex D, in quo est *exitium*, quomodo v. 947 scriptura Palatinorum orta sit optime cognoscimus.

Mil. glor. 380 ,Pergin, sceleste, intendere hanc arguere' A; ,intendere et hanc arguere' P.

Trin. 673 (ubi A deest) ,Insanum et malumst in hospitium devorti ad Cupidinem' B; *Insanumst et malum* CD. utroque loco vocula *et* addita ex sententia prave intellecta nata est. in Trinummi versu praeterea genus correctionis ei, quod p. 75 sqq. tractavi, simile animadvertendum est, si recte Muellerus *Pros. Plaut.* p. 327 adn. *hospitio* coniecit, quod ipse prae Brixii coniectura ,Insanum malumst hospitium, devorti e. q. s.' sprevit, Ritschelius in tertiam Trinummi editionem recepturus fuit, idque me quidem iudice suo iure. nam *hospitio devorti* unice Plautinum est; *in hospitium devorti* ita tantum dicitur, ut cum verbo *hospitium* aut adiectivum aut genetivus coniunctus sit. cf. *Mil. glor.* 741 ,in amici hospitium devorti'. *Poen.* 673 ,ut devortatur ad me in hospitium optumum'. *Pseud.* 658 ,ego devortar . . huc in tabernam tertiam apud anum illam'. *hospitio devorti* numquam cum adiectivo vel genetivo coniungitur. *in hospitium* autem ex *hospitio* natum esse qui exempla p. 75 allata legerit, non negabit. ceterum cf. similem Ambrosiani correctionem *Mil. glor.* 385 p. 71.

Poen. 291 ,Pol equidem hau mentire' A; *id quidem* P.

Mil. glor. 392 ,Id me insimulatam perperam falso esse somniavi' A; *ita* CD; *item* B ex errore; hanc mutationem quamvis exiguam noluerim casui tribuere, quippe cuius ratio in propatulo sit; scilicet cum corrector haereret in constructione ,id me insimulatam esse', faciliorem orationem reddere sibi visus est scriptura *ita*.

In contrariam partem correctus est *Poen.* 925 ,Ita negotium institutumst' A, *id negotium* P.

Trin. 29 *plerique omnes* A; *plerumque* P vitio scribae, ut videtur.

Mil. glor. 1172 ,formam, amoenitatem, faciem' A; *amoenitatis* P.

Poen. 1252 ,id ego evenisset vellem' A; *evenire vellem* P pessime. huius mutationis simillimum est, quod etiam v. 1288 Lipsiensis metro pessumdato habet ,Sed mea amica nunc irato mihi obviam venire vellem'; *veniat* AP.

Denique Beckerus in Studemundi *stud.* I p. 215 adn. Studemundum refert in *Pseud.* v. 962 diversam recensionem statuere; praebent enim A *incerte*, P *incerto* cum hic tum *Epid.* 545. sed non constans est haec discrepantia recensionum; nam *Epid.* v. 505 B sane *incerto* exhibet, sed J cum A *incerte* habere videtur, quoniam de eo Goetzius tacet; de E in *praefatione Curculionis* p. XIV adnotat: „dum incerte (e *post. ex* o *m. 3*)". illas diversitates ut per recensionis occasionem natas esse concedamus, iam quaeritur utra scriptura genuina sit. atque cum post Langeni subtilem disputationem (*Beitr.* p. 22—31) Plautum ante verbum sciendi semper *certo* adverbio usum esse dubitatione exemptum sit, facile inde quis colligat idem ad *incerto* pertinere. sic qui iudicat probabilitatem sane sectatur, sed certum iudicium vix assequemur, quia praeter haec tria exempla nullum extat, unde huius adverbii usum Plautinum cognoscere possimus. illud vero liceat monere, etiam in formis *certe* et *certo* A et P distare his locis a Langeno allatis: *Mil. glor.* 379 *certe te vidi* A, *certo* P, utrumque Plautinum; *Pseud.* 361 *certo* A recte, *certe* P; cf. Langenus l. c. p. 30; *Trin.* 752 *certo* AB, *certe* CD; *Merc.* 444 *certe* B recte, *certo* CD; *Bacch.* 254 *certo scio* B recte, *certe* CD. *Merc.* 1012 *Certon scis* BD, *certen scis* C. *Trin.* 157 *certo* P, *certe* Bothius.

Restat ut de formis antiquis in recensionibus servatis nonnulla breviter perstringam. nam cui quanti in rebus orthographicis recensiones aestimandi sint quaestionem integram absolvere in animo est, peculiarem ei et sat amplam commentationem scribendam esse perspexerit, qui e. g. Studemundi dissertationem admiranda diligentia conscriptam ‚*Ueber zwei Parallel-Komoedien des Diphilus*' (in *Verhandl. d. 36. Philologenvers.*) perscrutatus est. hoc vero contendere posse mihi videor, falli si quis in ullo orthographiae genere recensiones sibi constare putet; immo in alterautra recensione priscae et noviciae formae promiscue inveniuntur. quod ut conspiciatur, nonnulla quae huc pertinent liceat afferre.

Velut quod attinet ad *vocivus vacivus* formas, de quibus cf. Ritschelius *Nov. exc. Plaut.* p. 59, in A *Trin.* 11 *vocivas* diserte scriptum est eandemque formam veri simile est etiam *Pseud.* 469 ibidem extare. in P sane plerumque *vacivus* traditur (*Trin.* 11. *Pseud.* 469. *Bacch.* 154. *Cas.* III 4, 6), sed non caret ea recensio altera forma; *Cas. prol.* 29 *vocivae* B. iam dudum in comparationem vocatus est Ter. *Heaut.* 90, ubi in Bembino est: *v*ᵃ*ocivom* (*a* ex corr. rec.). in iis formis, quae et simplici et geminata littera *s*

in codicibus exaratae sunt, non certam scribendi normam novissimi editores secuti sunt. nam Ritschelius in *Trin.* 37 ex A *odiosse* (*odiose* P), 1077 ex B *otiosse* (*otiose* ACD), 181 ex A *ussurae* (*usurae* P) receperat, neque aliter Goetzius in *Epid.* 695 ex B *obnoxiossae* (de A non constat), 712 ex BJ *visse* (de A ne hic quidem quicquam notum, sed *Pseud.* 1063 *visso* A, *viso* P) adsumpsit, in *Truc.* 198 vero Schoellius *visse*, quod in P est, aspernatus edidit *vise.* deinde iterum Goetzius *Merc.* 310 cum A *nassum* (*nasum* P), 518 *ussus* (*usus* P), 781 *vassa* (*vasa* P), *Poen.* 459 *paussam* (*pausam* P) edidit, idem tamen ubique *causa* vel invitis libris scribens, quem contra *caussa* commendat Loewius *Anal. Plaut.* p. 156; cf. *Merc.* 400. 537. *Stich.* 363. *Poen.* 906 *caussa* A, *causa* P, Goetzius. nec magis sibi constitit in adiectivis in *osus* desinentibus; nam cum in *Epid.* 695 *obnoxiossae* probasset et etiam *Merc.* 507 *laboriossi* ex A (*laboriose* P) ederet, in *Sticho* formis *negotiossam, radiossus,* quamquam in A leguntur vv. 356. 365 atque a Loewio *Anal. Plaut.* p. 178 commendantur, et *gloriosse,* quod in B legitur v. 277, locum non concessit. talia vero si ex librariorum arbitrio pendere duxit, cur in eadem fabula *essurire* cum A v. 180. 345. 504 edere maluit, quam Palatinos sequi, ex quibus *esum* contra Nonii testimonium (*cessum* = *essum*) *Curc.* 228 recepit?

Itaque ad hanc quaestionem solvendam non multum valent recensionum differentiae; neque P carent scripturis *vassa, nassum, ussus: Men.* 1035 *vassa* B. *Men.* 986 in *vassed* latet *vassa et. Men.* 195 *nassum* CD[1]. *Pers.* 563 *ussu teme* = *ussust, eme* B. *Pseud.* 306 *iustus* fortasse = *ussui.* 1129 *improbius uisi sunt* = *improbi ussui sunt.* ex A praeterea affero *Most.* 713 *incuses* P, *incusses* A, quod vereor ne scribae debeatur; cf. *Aul.* 550 *accussem* B, non probatum Goetzio; *Truc.* 146 *incusant* P, *incussant* L. *Pseud.* 1317 et *Vid.* I 1, 22 *quaesso* A, sed idem viciens bis *quaeso* (Studemundus l. c. p. 47). *Most.* 786 *misseras* A, *miseras* P. incerta est Ambrosiani scriptura *Stich.* 334, ubi aut *propudiose* cum personae spatio, aut *propudiosse* sine illo scriptum fuit, et *Cist.* frg. in A p. 311, 6 *o[pe]r[os]sa[m].* ex P addo *Pers.* 480 *trasennam* A, *trassennam* B.

Non aliter res se habet in formis *rusus, rursus, rusum, rursum, russum: Pseud.* 871 *rursus* A, *rursum* P cum hiatu; *Trin.* 182 *rursum* A, *russum* P; *Truc.* 111 *rursum* ACD, *rusū* B; *Mil. glor.* 592 *rusum* A, *rursus* P; *Merc.* 68. 296. *Pers.* 810 *rusum* B. *Epid.* 582 *prosus* A, *prosum* P; *Pseud.* 955 *prosus* A, *prorsus* P; sed *prosus* B

Trin. 730, B¹CD *Most.* 307; *prosum* P *Trin.* 1130, CD *Pers.* 477; *prossum* B *Cist.* IV 2,32. cf. Ritschelii *Op. phil.* II p. 259. *Proleg.* p. CIV.

Paulo inconstantius Ritschelii successores rem etiam in verbi *monstrare* formis scribendis egerunt. etenim postquam Ritschelius *Trin.* 342 et 948 ex B, 920 ex C formam *mostrare* recepit, a Goetzio vv. *Curc.* 404. 467. 590, quamquam in singulis codicibus extat, reiecta est; in *Poen.* 602 autem, ubi *commostraremus* A, *commonstraremus* P, et 1043, ubi *commostra* A, *commonstra* P, eam iterum receperunt Goetzius Loewiusque.

Studemundus *Mus. Rh.* XXI p. 616 ad *Trin.* 848 adnotat: ‚hasce A, has P aus anderer Recension'. in A vix rarius quam in P (videlicet si eos tantum versus respicis, qui in A quoque servati sunt) pleniores pronominum demonstrativorum formas remotas esse ex Schmidtii (*de pron. dem. form. Plaut.* Berol. 1875) et ipsius Studemundi (*annal. phil.* CXIII p. 57—76) collectaneis elucet. itaque si talia in P ad correctores referenda sunt, eorum industriam pari modo in utraque recensione agnoscere decet; sed mutandi certas normas vix quisquam indagaverit.

Neque magis quicquam colligi potest ex frequenti recensionum in scribendis interiectionibus diversitate, quam Studemundus ibidem p. 619 sq. adn. ad *Trin.* 1060 statuit; cf. *Trin.* 1060 ‚aha nimium Stasime saeviter' A (Nonius); *ha* P; cf. *Poen.* 335 ‚aha tam saeviter' A, Nonius; *ah* P. *Trin.* 649 *aha* A, *ah* P. 681 *ha a* i. e. *aha* B, *hac* CD, *aha* Hauptius, A deest. *Poen.* 319 ‚aha non factost opus' A; *ah* P. sed habes in P *aha* *Cas.* III 6, 7 (etiam in A). *Bacch.* 87. 810. *Truc.* 366 ‚abi. ‖ ha, aspersisti aquam' A, *abiab haspersisti* i. e. *abi.* ‖ *ab*ʰ*aspersisti* P. *Pseud.* 988 *oho* P, *oh* A (cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 171). *Pers.* 406 *eo* P, *eho* Aldin., *oh* A. *Mil. glor.* 36 *ehem* A, *hem* CD, *em* B. *Pseud.* 912 *hem* A, *ehem* P, ut v. 875. *Mil. glor.* 394 *eu* A bene; *heus* P. 365 *em* AB; *hem* CD. *Truc.* 371 *heia* A; *ad* = *eia* P. in talibus autem minutiis librariorum incuria facillime peccari potuit.

Trin. 24 in A est *immune*, et cum eo, ut semper, congruit Festi epitome p. 109, 23; ad priscam autem formam *immoene* ducit nos Palatinorum scriptura *inmene*. in A autem bis praeterea eadem correctio cernitur: *Mil. glor.* 690 *munerem* A, *uenerit* BC, in quo latere *moenerem* Loewius vidit; cf. 910 *eieceretur* B, unde *ei coeretur* Ribbeckius. *Truc.* 310 *munerandis* A, *moniendis* i. e. *moeniendis* P, de quo loco egi p. 46. *inmunis* tam in A quam in P extat *Trin.* 354.

Pleniori formae *drachuma* usitatior *drachma* in A subiecta est *Trin.* 425. *Pseud.* 93, quibus addendi sunt *Pseud.* 86 et 91, si modo Loewius *Anal. Plaut.* p. 155 earum quae in A legi nequeunt litterarum spatia accurate expressit. his locis omnibus in P *drachuma* legitur, quae forma in A nusquam nisi una cum P *Pseud.* 88 servata est. ceterum *Trin.* 425 codices CD ad formam etiam vetustiorem, quae est *dracuma* nos revocant; nam quod in iis est *drahcumarum*, natum est ex *dra*^{h}*cumarum*; cf. *Pseud.* 808 *drahcmis*. *Merc.* 777 *drachmam* AB, *dragmam* CD. hac occasione data nolo praetermittere in A ubique verba graecanica cum aspiratione scripta esse his locis exceptis: *Pseud.* 688 *auricalco* A, *auricalcho* CD, *aurichalco* B; cf. *Mil. glor.* 660 *auricalco* P. *Curc.* 202 *auricalco* J. *Trin.* 744 *Carmidi* A, *Charmidis* P. *Most.* 962 *Teoropidem* A (ex Schwarzmanni collatione), *Theuropidem* P. *Pseud.* 229 *Phoenicium poeniceo* A, *phoenici phoenicio* B(CD). *Bacch.* 497 *Mnesiloce* A, *Mnesiloche* P. in P vero fere centum et quadraginta exempla inveni, quibus aspiratio addita non est. quorum ea tantum affero, quae in A quoque aetatem tulerunt: *Truc.* 189. 362 *Pronesium* P, *Phronesium* A. in P *Pronesium* etiam v. 77. 197 (B) 323 (P) 358 (B) 499 (*prhonesium* = *p*^{h}*ronesium* B) 504. 881. 321 (B). *Pseud.* 988 *polymaceroplacides* B, 989 *polymachaeroplacidi*(*e*?) P, *polymachaeroplacides* A. *Stich.* 305 *Talthibi* BC, *Thalthubi* A. *Mil. glor.* 30 *celepanti* B^1, *elepanti* B^2, *ele*[*p*]*hanti* A; cf. Studemundus *Herm.* I p. 293.

Sex extant loci, *Trin.* 262. 363. 1070.[1]) *Most.* 795. *Poen.* 708. *Pseud.* 929[2]), ubi in A *ipsus* servatum, in P *ipse* novatum est. tribus locis invicem in P *ipsus* servatum est, ubi A *ipse* exhibet: *Pseud.* 263. 973. 884 (ubi in *ipsos* latet *ipsus*); cf. Luchsius in Studemundi *stud.* I p. 47. *Trin.* 1071 et *Most.* 687 *ipsus* in A aliis verbis illatis expulsum est.

Trin. 343 formae pronominis personalis *tis*, quam A servavit, in P vulgaris *tui* subiecta est; sed in P quoque illa extat e. g. *Mil. glor.* 1033 *tis* P.

Scriptura *Accheruns* Veteri codici debetur *Trin.* 525, ubi ACD *Acheruntis* exhibent; cf. Ritschelius ad v. et *praef. Trin.*^{2} p. LXVI. *Trin.* 494 in *ad acharunte* B, *ad acheronte* CD latet *Accheruntei* (cf. Koenigius *Quaest. Plaut.* Patschkau 1883 p. 4; Schoellius adn. ad v. in *Trin.*[3]); in A novatum est *ad Acheruntem*. eandem scripturam

[1]) Schoellius in ed. tert. adn. crit. cum P facit, nescio an recte.

[2]) V. 930 *qui ipsus est* P iidem.

Most. 509 in *adcherontem* (CD) latere iam Hasperus (*de Poen. dupl. ex.* p. 26) animadvertit. in utraque autem recensione extat *bracchium* *Mil. glor.* 30 (*braccium* B) et *Pseud.* 708, in P *Mil. glor.* 26. 27. 1180. *Truc.* 783. *Poen.* 1269 *bracchialem* AB.

Forma *pristinum* = *pistrinum*, de qua egit Ritschelius *Op. ph.* II p. 459, ex solis P recuperata est; extat enim *Pseud.* 1060. *Pers.* 420. *Epid.* 145. in A *Pseud.* 1060 et *Pers.* 420 *pistrinum* exaratum est.

Gravioris momenti est quod in solis P priscae coniugationis vestigia quaedam oblivionem fugerunt. nam terminatio primae personae futuri *em*, qua Catonem usum esse Quintilianus (*inst. or.* I 7, 23) testis est, in P quattuor locis servata est: *Pseud.* 214 *faciem* B[1], 946 *accipiem* B, *Most.* 914 *accipiem* CD, *Truc.* 963 *sinem* BCD. quorum versuum in A aetatem tulit nullus praeter *Pseud.* 214, ubi illius formae antiquitas ut in B[2]CD oblitterata est scriptura *faciam*. cf. Bergkius *Z. f. A. W.* 1855 p. 297, *Ind. schol. Hal.* 1858/9 p. V, *Beitr. z. lat. Gramm.* p. 97. G. Loewius *Act. soc. Lips.* V p. 317 sq. alterum est quod Palatinorum ope aoristi latini reliquiae in Plauti quattuor locis detectae sunt: *Pers.* 816 *attigas* CD[1]. *Epid.* 723 *attigas* B. *Most.* 468 Palatinorum apices *atigate* ad scripturam *attigatis* redeunt eandem, quam Diomedes I p. 378 praebet. *Truc.* 276 *attigas* P, in A *attingas* dilucide scriptum est. *Bacch.* 445 *attigas* Nonius, *attingas* P.

Pseud. 840 *fervont* A recte; cf. Brixius ad *Mil. glor.* 205; *fervent* P. *Trin.* 1075 *vivont* P, *vivunt* A.

Stich. 328 *delinquont* P, *delinquunt* A.

Truc. 198 *opperimino* A; *opperire ibi* P.

Trin. 215 *insciens* A; *inscius* P male.

Trin. 743 *incolumem* A ex recensione, *columen* P.

Trin. 85 *columine* A, *culmine* P; *Epid.* 189 *columen* P.

Mil. glor. 201 *severo fronte* A, *severa* P; cf. Brixius ad v.

Stich. 348 *araneorum* A P Nonius p. 192, sed 349 *earum* P, *eorum* Nonius, A (quamquam non omnino certum est); *miserae* (quod latet in *misera f[algebunt]* P, *misere* vel *miseri* A. 350 *illos* A, *illas* P. 355 *araneos* vel *araneas* A, *araneas* P. cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 178. *Asin.* 425 *araneorum* Nonius, *aranearum* P.

Mil. glor. 397 *dorsus totus* P, *dorsum totum* A.

Cas. epil. 7 *nautea* A Fest. p. 230, *nausea* P; differentia non fortuita est, ut Leidolphus p. 219. 221 iudicat; quem fugit *Curc.* 99 iterum P praebere *nausea*, Nonium autem p. 8 *nautea*. *Asin.* 894 *nauteam* Nonius BE, *nauseam* J.

Pseud. 220 *nitidiusculum* A, *nitidissimum* P.

Trin. 400 *commodum exit* A, *commode* P ex novicia scriptura.

Pseud. 276 *propemodum* A, *propemodo* P, ut *Trin.* 780. extat autem in his quoque *propemodum* noviens.

Truc. 256 *propterve* A, *proterve* P.

In eo certe A Palatinis longe praestat, quod multo saepius pro *i* longa diphthongum *ei* servavit. in quo illud quam maxime memorabile est, quod in aliis comoediis illae formae fere constanter, in aliis nusquam inveniuntur. nam plurima exempla continet Mercator, deinde sequuntur Persa Poenulus Menaechmi Epidicus Stichus, cum in ceteris aut raro aut nusquam extent; velut in Pseudulo non nisi in fine inde a v. 1179 et in utraque quidem recensione apparent. in P non nisi sparsim in quibusdam comoediis inveniuntur saepeque ex corruptelis demum recuperantur. ut exempla ponam, Loewius (*Anal. Plaut.* p. 197. 207. 213) monuit *Trin.* 230. 962. *Cas.* II 8, 78 ex *siet*, quod metro non admittitur, eliciendum esse *seit*, porro in *foras* (*Truc.* 95. 289. *Cas.* II 7, 11) latere *foreis*, in *obiatus* vel *obatus* (*Truc.* 235) *obleitus* (A *oblitus*), *Cas.* IV 4, 23 in *agit* (B) *eicit* (*icit* A), *Poen.* 404 in *arata eirata*, 966 in *servare serveire*, *Truc.* 486 in *de pugnas de pugneis*, 532 in *excida excidei* (*excidi* CD) al. *Mil. glor.* 1422 haec codicum memoria est: *non eibis* A, *a nobis* P, in quo latet *nō abis* = *non eibis*. *Mil. glor.* 162. 179 *scimia* = *seimia* P. *Mil. glor.* 884 in codicum corruptelis *deasdarei* sive *assecla rei* latet *deasciarei*.

Haec sunt, quae in legentium usum quasi per compendium conferre libuit; permulta alia propriae commentationi reservanda sunt.

Caput tertium.

Plauti fabulas neque ab ipso poeta neque eius aetate sed septimo demum urbis saeculo, cum ob novarum comoediarum penuriam veteres fabulae iterum in scaenam producerentur, non sic ut poetae manu constitutae, sed ut a dominis gregum pro arbitratu suo in usum actionum retractatae erant singillatim editas esse certum est. quorum opera in quantum ad totas scaenas vel scaenarum partes aut resecandas aut mutandas pertinuerit quaerere huic commentationi non convenit, quippe cui proposita sit

sola comparatio et aestimatio codicum Ambrosiani et Palatinorum, qui nimirum in ambitu et argumentis scaenarum in universum ad unam eandemque recensionem redeunt. sufficit igitur repetere quod satis cognitum est codices nostros Plautinos eam repraesentare fabularum condicionem ac speciem, in quam ad iteratas actiones redactae erant.[1]) ex hoc igitur fonte non pauca in codices nostros transierunt, quae aliunde depromi non poterant Steffeniusque l. c. diligenter composuit. e quibus singula quaedam nunc in examen vocanda erunt.

Histrionum plurimum interesse debebat, ut quaecunque cum ad fabulas tum ad ipsorum partes agendas pertinerent accuratissime in exemplaribus indicata essent. ac rectissime Wilmannsius l. c. dixit didascaliorum in comoedias Latinas compositorum eam partem quae ad modos musicos pertinebat aperte deberi exemplaribus histricis; quo maiore iure si quae eiusmodi libri manuscripti in ipsis fabulis praebent ad eundem fontem referemus. ad fabularum autem actionem gravissimi momenti fuit illa *σημείωσις*, qua fabularum versus cantui destinati a recitatione distinguebantur notis illis *C* et *DV*. cuius cum ne vestigium quidem in codice rescripto relictum esse[2]), crebras vero reliquias et in BCD extare et cum fide usque ad saeculum tertium decimum propagatas esse in codice Ambrosiano E (cf. Goetzii Loewiique *praef. Asin.* p. XIII) sciamus, iam nova observatione firmatur, quod capitis secundi paragrapho tertia ineunte demonstravimus, Palatinos ad integriorem et vestustiorem archetypum redire quam alteram recensionem.

Aliud Spengelius in commentatione, cui inscriptum est ‚Scenentitel und Scenenabteilung in der lateinischen Comoedie' (in *Sitzungsberichte d. Münch. Akad. philos.-philol. u. histor. Klasse* 1883 II p. 257—298), sagaciter animadvertit. monuit enim verissime veterem comoediam personarum quae in scaena producebantur nomina nihil curasse, sed ex partium quas actores age-

[1]) Cf. G. Goetz *Dittographien im Plautustext* in *Act. soc. phil. Lips.* VI p. 235 sqq. C. Dziatzko *Mus. Rh.* XXI p. 92 sqq. *Praef. Phorm.* p. 18. C. Steffen *De actor. in fab. Terent. numero et distributione* in *Act. soc. Lips.* II p. 150. 152 sq. Wilmanns *De didasc. Terent.* Berol. 1864 p. 63 sq.

[2]) Vide qua argutia Niemeyerus hoc argumentum redarguere conetur p. 55 sq. sic disputans: ‚atqui quaerimus ex iis, qui Ambrosianum librum viderunt, quotiens scaenarum superscriptiones, in quibus illae notae expectarentur, dilucide legere potuerint'.

bant condicione χαρακτῆρας tantum discrevisse. qua de causa in scaenarum titulis initio nihil nisi quibus personis, velut senibus adulescentibus parasitis meretricibus al., in scaena agendum esset scriptum erat. hanc antiquissimam titulorum formam in archetypo utriusque recensionis communi fuisse inde sequitur, quod in P sat saepe ipsa aetatem tulit[1]), id quod non casu factum esse, sed veterem memoriam repraesentare eo elucet, quod excepta priore *Truculenti* parte ubique σημειώσις illa cum characterum significatione coniuncta invenitur. neque in iis titulis, quibus nomina propria iam addita sunt, vestigia quaedam genuinam formam produnt. velut *Epid.* II 2 P hunc titulum exhibent: ‚Epidicus servus Apoecides Periphanes senes duo C‘ similiaque saepius inveniuntur. at ineptum est *duo* nominibus propriis insuper additum; contra optime se habuit eo tempore, quo nomina propria titulo nondum adscripta erant. genuina inscriptionum forma deinde ita mutata est, ut nomina propria characteribus personarum adderentur, eaque species in P longe plurimis locis invenitur, coniuncta illa sat multis locis cum antiquissimis notis C et DV. denique sublatis antiquitatis testimoniis, semeiosi et characteribus personarum, sola nomina propria relicta sunt. atque hoc titulorum genus Ambrosianus constantissime ostendit. itaque hac in quaestione, quamvis exigua videatur, optime cernitur quae condicio inter Ambrosiani et Palatinorum recensionum tempora intercedat. etenim cum in historia critica Plauti fabularum archetypus utriusque recensionis communis primam quasi aetatem repraesentet, Palatinorum recensio medium locum obtinet inter ipsum hunc archetypum et Ambrosianam recensionem, quae in hac de qua agimus quaestione originem recentiorem aperte prodit. nam cum in remotis personarum characteribus egregie sibi constet Ambrosianus, non incuriam librariorum, qualem in P diversitas titulorum ostendit, sed ipsius eius qui recensionem condidit deliberatum consilium agnoscendam esse apparet. de quo non vereor ne quis propterea dubitet, quod *Stich.* II 2 in A superscriptum est ‚Panegyris Parasitus‘ et *Pseud.* I 2 ‚Leno Calidorus Pseudulus‘, quamquam corrector parasiti nomen *Stichi* scaenae II 1 superscripserat et e v. 330 depromere poterat, nec non in

---

[1]) Cf. e. g. *Trin.* II 4. III 1. III 2. III 3. IV 1. IV 2. IV 3. IV 4. V 1. V 2. *Pseud.* I 2. II 3. III 1. IV 3. IV 7.

Pseudulo versus 193. 255 ei nomen lenonis facile suppeditabant; nam haec appellativa mero casu oculos correctoris fugisse quae iuxta scripta sunt nomina propria demonstrant. contra consilium correctoris apertissime in eo conspicitur, quod, ubicunque ulla de causa non potuit nomina propria scaenis superscribere, ad varia artificia confugit. veluti in *Sticho* fabula vel Plautus vel qui post eius aetatem fabulam retractavit [1]) sororum, quae in scaena prima colloquuntur, nomina adeo non curavit, ut altera tantum in ipsis versibus nomine appelletur, alterius nomen prorsus reticeatur. unde vides scaenae primae in archetypo titulum fuisse ,sorores II', id quod in P hodie quoque legimus. sed nomina propria additurus grammaticus Palatinorum ex vv. 247 et 331 alterum nomen ,Panegyris' recte elicuit, pro altero autem proclivi errore pueri nomen ,Pinacium', quocum Panegyris in scaena II 2 colloquitur, scripsit. Ambrosianae autem recensionis auctor quid fecit? sororum nomina, quae solito more substituturus erat, cum in prima scaena non legeret nec diligentius ultra hanc circumspiceret, antiqua inscriptione prorsus abiecta audacissime nova nomina effinxit ,Philumena Pamphila', Terentii ut videtur memor, qui his nominibus usus est. quorum cum nomen ,Pamphila', utpote meretrici tantum non mulieri honestissimae aptum, a limine reiciendum sit, ,Philumena' per se forsitan ferri posset, nisi mulieris eo nomine in A appellatae verum nomen ,Panegyris' et Palatinorum titulo et vv. 247. 331, quibus in A quoque servatum est, omni dubitatione exemptum esset. iam vero memineris velim versus *Stich.* 393, quem p. 40 tractavi, ubi auctor recensionis Ambrosianae nomine ,Pamphilippus' remoto substituit ,Pamphilus': numquis dubitabit quin eidem, qui ,Pamphilam' in Plautum induxit, etiam Pamphili nomen et versus 393 metrica correctio debeatur? vide quam memorabili exemplo appareat correctorem non solum verbis poetae mutandis operam dedisse sed etiam eiusmodi res arbitrio suo subiecisse; et si vel huic argumento quis fidem abrogaverit, non poterit refragari, si altero exemplo etiam graviore neque adhuc ut videtur cognito demonstravero correctorem, ut *Truculenti* scaenam II 1 cum antecedenti coniungeret, violentissime non solum inscriptionem sustulisse, sed etiam versus antecedentis metrum mutasse; quod

[1]) De Stichi διασκευή cf. Goetzii *praef.* p. IX. XV.

vide infra. ad Stichi autem scaenam primam revertens adnotaverim hoc ipsum, quod in P alterum, in A utrumque nomen proprium falsum traditur, luculentissime demonstrare primariam fuisse in archetypis Plautinis characterum significationem, novicia et a correctoribus demum varia in eo fortuna usis addita esse nomina propria.

Sed in ipsa *Sticho* correctoris Ambrosiani ut audacia ita inconstantia miranda est: nam quae ipse invenerat sororum nomina non per totam fabulam, quod expectaveris, induxit, sed iam in scaena I 2 neglexit; cui cum antiquitus superscriptum esset ‚senex: mulieres' vel ‚senex: mulieres duae', pro ‚senex' auctor ille Ambrosiani, ut solet, ‚Antipho' substituit, mulierum autem nomina cum ne in hac quidem scaena inveniret, ‚mulieres' retinuit eodem exemplo, quo *Stich.* V 4 ‚tibicina' (errore scriptum pro ‚tibicen'), cui *κωφῷ προσώπῳ* nomen non erat, ea tantum de causa remotum non est; et ne quid desit, quod eius neglegentiam manifestam reddere possit, scaenae II 2 recte Panegyridis nomen e v. 331 petitum superscripsit. quae praeterea huc pertinent casui fortasse tribuenda sunt. in *Trin.* IV 2 sycophantae verum nomen reticetur; nam quod v. 889 ‚Pax' nomen sibi indit, merae nugae sunt. in P scaenae recte superscriptum est ‚sycophanta, senex'. in altera recensione pro ‚senex' substitutum est ‚Charmides', sycophantae autem, cuius nomen ignorabatur, significatio prorsus omissa est. eadem rerum condicio extat *Epid.* IV 1, qua in scaena cum Philippa et Periphanes loquantur, genuinus titulus fuit ‚mulier senex'. cuius priorem tantum partem P servarunt in fine praecedentis scaenae, ‚senex' casu omissum est, cum eius verbi consilio delendi nulla excogitari possit causa. quod non eadem confidentia contenderim de Ambrosiani scriptura, in quo quod nihil nisi ‚Periphanes' (idque non prima manu scriptum) legitur, inde fortasse repetendum est, quod mulieris nomen in IV 1 nusquam legitur, sed in V 1 versu 636 demum commemoratur.

Atque haec quidem de Ambrosiano. de Palatinorum titulis minus recte retulit Spengelius. quorum memoria etsi dubitari nequit quin ex vetustiore tempore repetenda sit, tamen in eos novicia inscribendi ratio saepius inrepsit, quam Spengelius indicavit quae cum in A consilio constantissime invecta sit, in P ipsorum librariorum neglegentiae maximam partem eam deberi certissimum est: namque etsi hic illic omnes huius familiae libri in appella-

tivis omissis consentiant, tamen cave inde colligas eam titulorum formam de recensione in archetypum utriusque communem illatam esse. nam quod e. g. *Merc.* IV 4 in B titulus extat ,Lisimachus. Dorippa. Cocus', in C ,Lysimachus Cocus Eidem (i. e. Syra, Dorippa Lysimachus, cuius nomen insuper titulo adscriptum est), num quis in hac una scaena correctorem archetypi sola nomina dedisse credet, qui sciat per totam *Mercatorem* fabulam (excepta V 2) in P titulos diligentissime ad solitum morem exaratos esse? nec plus efficiunt *Aul.* IV 4 ,Euclio Strobilus' B E J, IV 5 ,Strobilus' B, cum in *Aulularia* praeterea titulorum species egregie sibi constet.[1]) cuius in novicia scriptura tradenda concentus pauca quae extant exempla vix maioris momenti sunt, quam ii loci, quibus plurimi codices Palatinae recensionis recentissimam titulorum formam exhibent, unus vero alterve genuinam servavit; cf. e. g. *Merc.* I 1 ,Charinus adolescens' B, ,Charinus' reliqui; I 2 ,Achantio servus. Charinus adolescens' B, ,Achantio Charinus' CD. contrarium est quod codex B, cuius etiam in titulis servandis egregia est fides, in *Stich.* I 3. II 2. III 1. 2. IV. 1. 2. V 1 nomina propria tantum scaenis superscripsit, plerumque is cum A concinens, cum D cum nomina propria tum characteras manu tertia scripta exhibeat, in C vero, ut alibi, tituli omnino omissi sint. in universum autem quam exiguam Palatinorum librarii operam scaenarum inscriptionibus navaverint ex Persa inprimis fabula intellegitur, quae in ipsis versibus non minus quam in scaenarum inscriptionibus plerumque nominibus personarum caret, et illis titulis comprobatur, quibus unius tantum personae character nomini subscriptus est, reliquarum significatio desideratur; cf. e. g. *Most.* II 1 ,Tranio servus. Philolaches. Callidamates. Delphium'; V 2 ,Callidamates adolescens. Theuropides. Tranio'. sed non desunt quidam in scaenis inscribendis errores, qui correctionis suspicionem fortasse alicui iniciant. in Casinae scaenis duabus in B servi nomen ,Stalino' (II 3) et ,Stalicio' (III 3) inscriptum est; quod monstrum scripturae ,cor-

[1]) Peculiarem condicionem habet Amphitruo, qua in fabula cum non eiusmodi personae, qualibus ceteroquin comoedia uti solet, in scaenam prodeant, sed dii heros herois, consentaneum est per totam fabulam in titulis nomina tantum utpote omnibus satis nota, quibus charactere addito opus, non erat scripta esse; idque etiam valet de Sosiae servi et Bromiae ancillae in titulis commemoratione. nisi quod V 1 in B ,Bromia ancilla', in D ,ancilla', in EJ ,ancilla Bromia' legitur.

ruptelis demum contextus Plautini ab hariolantibus et oscitantibus librariis in scaenarum inscriptiones illatum esse' ipsum codicem B docere demonstravit Studemundus *emend. Plaut.* (1871) p. 5. verum nomen ,Lysidamus' ex Ambrosiani vestigiis ab eodem enucleatum est.[1]) similem stultitiam scriba codicis veteris prodidit in *Cistellariae* scaenis II 2. 3. IV 1. 2. V 1, in quarum titulos ex v. II 3, 2 recepit *ὑποκοριστικόν* ,Lampadiscus' loco veri nominis ,Lampadio'. neque magis quam his locis correctoris consilium suspicari licet in *Truc.* sc. II 7, in cuius titulum pro vero servi nomine ,Cuamus' inrepsit ,Geta', videlicet ex v. 577

Iubeo vos salvere. || noster Geta! quid agis? ut vales?

ab eo, qui primus nomina propria superscripsit, desumptum; sed eo ipso versu cum ,Geta' nomen metro respuatur, non consilio sed errore, de cuius origine Schoellius (*Anal. Plaut.* p. 16 adn. 35) disputavit, versum et deinceps scaenae titulum invasit; verum autem nomen quamvis variis modis depravatum legitur v. 583. 586. 702. quae omnia minime eam quam supra protulimus sententiam de Palatinorum origine ex integriore fonte quam Ambrosiani repetenda infringunt vel debilitant.

Transimus ad aliam rem cum ea de qua egimus quodammodo coniunctam. etenim cum actuum distinctionem codices nostri habeant nullam, scaenarum divisionem praebent antiquissimam, quippe quae iam in illis exemplaribus, quibus in actionibus utebantur histriones, instituta esse debuerit; de quo vide quae Ritschelius *Op. phil.* II p. 366 disputavit. in qua quod parum certas normas observatas esse videmus, inde ni fallor explicationem habet et excusationem; nam cum ex singulis singularum fabularum exemplaribus ab histrionibus adhibitis corpus comoediarum Plautinarum non ante Varronis aetatem collatum sit, mirandum non est quod non ad certas leges per totum illud corpus scaenae discretae sunt; immo prout quisque dominorum gregum commoditati histrionum suaeque consulendum esse arbitrabatur, diligentius neglegentiusve singuli in scaenis distinguendis operam collocaverunt. neque magis hoc urgendum est, quod ne in singulis quidem comoediis constantem ubique distinguendi consuetudinem statuere possumus; namque quod

---

[1]) Liquide hoc loco demonstratur nomina propria non antiquitus scaenis superscripta fuisse, sed a grammaticis demum ex ipsis versibus cognita et scaenis praeposita esse.

recte Ritschelius (Trin. ed. alt. *praef.* p. LVIII) eam rem non tam necessitate quam aliqua rationis probabilitate regi dicit, id de histrionibus dominisve gregum ita accipere possumus, ut nec potuerint nec voluerint ea qua nos adsolemus severitate ac sagacitate in distinctionis scaenarum rationes inquirere. ex altera parte paene certum est in scaenis distinguendis saepius valuisse rationes, quas nobis in examen vocare non iam licet; velut ad persuadendum aptissimum est, quod Spengelius l. c. quibusdam locis distinctionem scaenarum ex mutatis modulationibus musicis repetivit, sed quomodo res sane probabilis argumentis stabiliatur non video. ad nostram autem rem utrum qui scaenas discreverunt ubique rem acu tetigerint necne minus pertinet, sed hoc unum spectandum est, num forte comparatis inter se recensionum testimoniis in altera utra recensione correctorem a veteri bonaque memoria de industria discessisse possimus statuere. eaque correctoris opera in A manifesta est.

Truc. II 1 post colloquium cum Diniarcho habitum Astaphium sola in scaena restans cantat. distant autem in antecedentis scaenae fine et initio novae recensiones ita:

B: Redi vero actutum: ego interim te apud vos opperibor

ZASTRAPHIṼC. ṼL

Ha ha ha hercle quievi quia intro abiit odium

Ambrosiani haec species est:

Redi vero actutum ego interim hic apud vos opperibor. ‖ Ha
Requievi
Quia intro abiit odium meum.

Est locus gravissimi momenti, quippe in quo recensio metrica cum scaenica coniuncta sit. nam quod auctor recensionis Ambrosianae *ha* post personae spatium ultimo scaenae I 2 versui applicavit, duplici fecit ratione: primum enim noluit novae scenae initium admittere, sed quia persona quae iam antea in scaena versabatur loqui pergebat, removit titulum scaenae, cuius legitima auctoritas per se dubitatione exempta duobus gravissimis testimoniis prorsus singulari modo vindicatur. nam non solum hic quoque in B *σημείωσις* illa, qua cantica insigniuntur, extat, sed virgulis VL felici casu exemplum praesto est veteris versuum computationis stichometricae, cuius alterum documentum ex eodem codice in fine scaenae Trinummi II 1 in lucem Ritschelius protraxit. significant enim, ut Dziatzko (*ann. phil.* CXXVII p. 61 sq.)

vidit, illae virgulae numerum VL = 45, quo versus huius scaenae quot quidem in B descripti sunt computantur. sed non satis habuit auctor Ambrosiani scaenarum divisionem tollere, sed scaenas inter se artissime ita coniunxit, ut in versu scaenae I 2 ultimo personae spatio relicto Astaphii interiectionem adderet eamque metro ita adaptatam, ut pro triplici *ha ha ha*, quod P exhibent[1]), simplex *ha* scriberet, quo octonarius iambicus hic existeret:

Redi vero actutum: ego interim hic apud vos operibor. ‖ ha!

Spengelius, cum in commentatione de scaenarum distinctione dicat in A quoque vestigia scaenae olim distinctae superesse, quo spectet nescio, nisi forte pro indicio habuit quod ‚Requievi' ibi integrum versum occupat. quae res nihili est prae voce *ha* versui 209 post spatium personae relictum agglutinata.[2])

Ad ceteras in scaenis distinguendis discrepantias recensionum antequam transeam, quaedam praemonenda sunt. Ritschelius (*Op. phil.* II p. 367) hanc legem constituit: ‚Im allgemeinen ist ein vernünftiges Princip offenbar dieses, dass neue Namensüberschriften da gemacht werden, wo neue Personen auftreten, wenn auch vorige zurückbleiben, dagegen keine, wo nur welche abtreten, aber zurückbleibende (oder ein zurückbleibender) zu sprechen fortfahren'. quam rationem minus recte virum ill. in comoediis Plautinis adhibuisse scimus, ex quo Spengelius l. c. p. 273 de hac quaestione sic statuit, ut, quando persona de scaena decedat, nova scaena non instituatur, si idem metrum continuetur, instituatur, ubi ad aliud metrum transeatur.[3]) neque in eius-

---

[1]) Pro quo *ha ha he* magis commendatur versibus *Pseud.* 946; *Poen.* 768. ad eandem scripturam fortasse redit quod P versu *Pseud.* 1052 praebent *ha he*; A exhibet *hahae*, quod in *Truculenti* locum recepit Spengelius *Reformvorschläge* p. 422, qui versum sic cum P dimetitur:

Hahaé, rēquievi quia intro abiit odium.

[2]) Possit aliquis, ut Ambrosianum defendat, in comparationem vocare locum simillimum *Epid.* 80 sqq., a quo versu quamquam post Thesprionis abitum Epidici canticum incipit, nihilominus A P scaenam continuant. neque nego hic novae scaenae initium esse aptissimum; sed unde eiusmodi inconstantiae habeant explicationem in universum supra dictum est; deinde hic locus distat a Truculento ita, ut *Truc.* sc. II 1 primi versus alio atque qui antecedunt metro utantur, in *Epidico* initium cantici eodem quo versus antecedentes metro continuetur.

[3]) Quae leges ut possint a viris doctis examinari, ex fabulis a Ritschelio tresvirisque editis collegi quae huc pertinent. nova igitur scaena non

modi locis usquam recensiones discrepant. sed etiam sine metri mutatione aliquotiens codices post personae discessum scaenarum distinctionem praebent, non sine graviore causa a lege ceteroquin observata recedentes. velut quod *Capt.* V 1, 32 post Philopolemi et Philocratis abitum Hegionis et Stalagmi colloquium, quamquam septenarii continuantur, nova scaena ab antecedentibus segregatur, Spengelius ingeniosissime inde explicavit, quod alia fuerit antecedentium, alia horum septenariorum modulatio musica; nam cum scaena V 1 bacchiacis tetrametris, octonariis et septenariis trochaicis, haec vero solis septenariis decurrat, mutati in hac modi musici aptissimi sunt; neque hoc quidem neglegendum, nunc demum Stalagmum, etsi scaenae V 1 iam interfuit, procedere et loqui, ut una cum abitu duarum personarum quasi nova in scaenam prodeat. etiam saepius ubi una tantum persona post ceterorum abitum in scaena remanens eisdem septenariis trochaicis loqui pergit, ex veteri memoria nova scaena incipit. velut *Aul.* III 4 (v. 460) cum Congrio abeat, Euclionis restantis monologus integra scaena continetur, neque aliter *Capt.* IV 3 (901) Ergasilus postquam Hegionem abeuntem verbis ,Bene ambula et redambula' prosecutus est, nova scaena loqui pergit. utrique autem loco egregia defensio paratur duobus Pseuduli locis, quibus P scaenas distinent.

Pseud. II 2 (665) Pseudulus Harpagem caculam his verbis prosequitur:

Atque audin, Harpage?
Iube sis te operiri: beatus eris, si consudaveris.

---

instituitur *Amph.* 1040 [vix digni qui commemorentur sunt 546. 858]. *Asin.* 243 *Aul.* 105. 460. 580. 615. 677. 803. [265. 274.] *Epid.* 161. 425. *Bacch.* 229. 349. 913. 1067. [795]. *Most.* 76. 684. *Men.* 442. 550. 668. 957. 1039. 1157. [698]. *Mil. glor.* 259. 345. 586. 867. 1388. *Merc.* 661. 789. *Pseud.* 562. 759. 893. *Poen.* 445. 810. 917. *Stich.* 266. 437. 497. 632. [398.] *Trin.* 199. 591. 717. *Truc.* 315. 335. 434. 758. qui unus repugnat locus a Spengelio omissus *Men.* 876—888, correctoris operam ostendit, qui videlicet Menaechmi et senis subsequens soliloquium una scaena perperam comprehendit; cf. Ritschelii adn. ad V 3. locos illos, quibus, cum persona decesserit, ob metrum mutatum novam scaenam codices ordiuntur, collectos invenis apud Spengelium l. c. p. 273—277. e quibus eos affero, quibus utraque recensio distinctionem scaenarum servavit: *Bacch.* III 4 (500). *Pers.* IV 5 (673). *Poen.* I 3 (410). *Pseud.* I 4 (394). *Rud.* III 4, 75 (780). *Trin.* II 3 (392), ubi in B casu distinctio evanuit. praeterea conferas velim quae in P solis servatae sunt memorabiles genuinaeque sine dubio scaenae disiunctae *Mil. glor.* IV 3 (1094). *Bacch.* IV 5 (761). *Most.* 409 (Spengelius l. c. p. 275). *Trin.* 998.

deinde novam scaenam (II 3) incipiunt P:

Di immortales[1]) conservavit me illic homo adventu suo.

quam scaenae distinctionem ex exemplari histrico depromptam nec sine consilio institutam esse demonstrat et titulus antiquissimus ‚Servos C‘ et quod in media Pseuduli oratione vix umquam grammaticus vel librarius novam scaenam exorsus esset. hic quoque mutatas modulationes musicas ansam scaenarum discernendarum dedisse, Spengelius ex diversa earum indole iure conclusisse videtur, quarum in illa Pseudulus Harpagem callidissime defrudare studet, in hac laetatur et philosophatur.

Huius loci simillima sunt et condicio externa et argumentum scaenae IV 8 (1238 sqq.), ubi post Ballionis abitum Simo restans sic gloriatur:

Bene ego illum tetigi, bene autem servos inimicum suum.

a quo versu in P nova scaena incipit titulo vetusto hoc superscripto in C: ‚Simo senex C.‘

Utroque loco Ambrosiani corrector, cum reconditam distinguendi rationem non posset perspicere, scaenas continuavit, vulgares is in eo normas secutus. cui ut patrocinetur si quis obiciat Palatinorum memoriam ideo fide dignam non esse, quod aliis locis sanequam similibus scaenae disiunctae non sunt (cf. e. g. *Poen.* 917. *Aul.* 460. *Men.* 668. 957. 1039. *Truc.* 758), eum iterum revoco ad ea, quae de singulari in his rebus singularum fabularum condicione supra dixi. correctoris autem Ambrosiani operam, quae in nulla perinde atque in Pseudulo fabula apparet, detegere pergimus.

Pseud. I 3. Post Ballionis canticum servi meretricesque, qui mutarum personarum vice functi sunt, scaena decedunt, Calidorus et Pseudulus, qui in aversa scaenae parte stantes Ballionis convicia audiverant, prodeunt, a metro trochaico ad anapaesticum poeta transit; ubi scaenae novae initium in P aptissime indicari nemo negaverit; nihilo minus Ambrosiani corrector scaenarum distinctionem non admisit.

In *Pseuduli* scaena IV 5 postquam Ballio dixit

Nunc ego Simonem mi obviam veniat velim

Simo in scaenam prodit. a cuius primis verbis BD ex vetere memoria novam scaenam incipiunt titulo in B sic superscripto ‚S. Simo Senex. E. Eidem. DV‘; ex quo cum scaenarum distinctioni gravissi-

---

[1]) Ad quod initium cf. initia scaenarum *Aul.* III 4 (460). *Capt.* IV 3 (901).

mum praesidium accedat, Ambrosiani corrector scaenam cum antecedenti copulavit neque Simonis nomen scaenae antecedenti IV 5 adscribere oblitus est, cuius titulus in A est ‚Ballio. Simo‘, in P ut par est ‚Ballio leno‘. scaenae distinctionem optime defendit *Bacch.* IV 5, ubi in scaena novem versuum, quam perperam Ritschelius priori (IV 4) adnexuit, servus similibus verbis atque hoc loco fit adventum eri se expectare dicit; qui cum procedat, nova scaena in libro *B* instituitur.

Bacch. III 5. Pistoclerus ad Bacchidem in aedibus versantem conversus quattuor septenarios loquitur, quibus Mnesilocho requirendo operam se daturum esse dicit: iam Mnesilochus, qui paulo ante (v. 525) de scaena decesserat, progreditur, ob quod nova scaena indicatur in P, quo indicio caret A; de qua discrepantia Spengelius dicit: ‚Die Recension der P war wieder für den Schauspieler die bequemere; sie sagte ihm, dass Mnesilochus erst dann aufzutreten habe, nachdem Pistoklerus seinen kurzen Monolog völlig beendet hatte. . . . A [muss] den Namen des Mnesilochus schon in der Überschrift zu III 5 gehabt haben.‘ scaenarum distinctionem cum Ritschelius (*Op. phil.* II p. 368) intolerabilem ducat, non consideravit prorsus eandem condicionem esse in scaenis I 2. II 1. 2. etenim postquam Pistoclerus v. 169 scaena decessit, Chrysalus adveniens in monologo octo senariorum ut Pistoclerum conveniat optat; qui cum in scaenam redeat v. 178, nova scaena incipit.

Eo maiore iure distinctionem scaenarum quam P praebent servabimus *Pers.* IV 9, qui locus Spengelium prorsus fugit. Saturio parasitus v. 730 etsi scaenam non reliquit, tamen in aversam eius partem, ubi a lenone non conspicitur, recessit et v. 738 quasi modo adveniens prodit eodem momento, quo Toxilus scaena decedit; ubi cum nihil interstitii sit in A, novam scaenam ordiuntur P eodem iure, quo v. 549, cum in proscaenium progrediantur Sagaristio et virgo, qui videlicet per scaenam IV 3 perinde atque Saturio in aversa scaenae parte steterant; cf. vv. 467 sqq. cum 728 sqq.

Longe maioris momenti est *Most.* 782 sqq., in quem quadrat quod Spengelius p. 289 disputavit: ‚Der Wechsel des Vortrages und der musikalischen Begleitung kann auch, wenn keine Person kommt oder geht, Scenentrennung veranlassen. In solchen handschriftlichen Scenentrennungen sah man bisher Abschreiberwillkür, aber es sind die wichtigsten Reste der ältesten, gewiss auf das

Bühnenexemplar selbst zurückgehenden Scenenscheidung.‘ Mostellariae igitur loco antecedentis monologi senarii a dialogi insequentis metro bacchiaco novae scaenae titulo discernuntur, in A neque intervallum neque titulus interpositus est.

Longiore disputatione opus est de *Pers.* scaenis IV 6—8, de quibus paulo neglegentius egit Spengelius p. 285. versu enim 726 cum Saturio a Toxilo evocatus in proscaenium prodeat, Spengelius novam scaenam inde a verbis ‚Ecce me‘ institui vult nisus Ambrosiano, qui ante hunc versum spatium unius versus monstrat. neque videtur Ambrosiani memoriam falso interpretari[1]); sed cum coniecturae fidem inde afferri putat, quod codex *B* in titulo versui 683 praeposito (sc. IV 6) nomen Saturionis non exhibeat (in D altera manu adiectum est), eum prorsus fugit Palatinos inde a v. 711 novam scaenam ordiri titulo sane carentem (nisi quod in D altera manu scriptus est), sed in quo dubitandum non est quin olim Saturio nominatus fuerit. itaque memorabilem detegimus recensionum discrepantiam, cuius consilium in propatulo est. Ambrosianae recensionis auctor vulgarem legem sequitur, ut quando nova persona in scaenam progrediatur nova scaena exordienda sit. at integrum versum novae scaenae initio dissecari, consilio, quo in scaenis distinguendis histriones ducebantur, non minus repugnat, quam Palatinorum certe librorum constanti consuetudini. etenim ut ab hoc loco recedamus, videmus neque *Most.* 420 neque, quod longe gravius est, *Truc.* 914 novam scaenam institui idque ob eam solummodo causam, ne in duas partes versus disrumperetur; unicus autem quod sciam versus, qui in medio scaenarum distinctionem in P ostendit, noviciam eius originem prae se fert. in *Bacch.* v. 583 post verba ‚Ecqui exit?‘ in codice vetere novae scaenae titulus scriptus est ‚Pistoclerus adulescens‘; in quo quae desideratur commemoratio parasiti, tertia manu postea addita est.[2]) quod cum paullulum suspicionis iniciat, res conficitur eo, quod in scaena IV 1 titulo antiquissimo ‚Parasitus. Puer. A d o l e s c e n s‘ Pistocleri significatio iam continetur. contraria sane est sententia Spengelii, qui

[1]) Contra falsissimum est, quod Ritschelius in adnotatione scaenam a versu 725 potius ordiendam esse censet, si omnino — id quod negat — distinctioni locus sit aptus.

[2]) Codicis D tituli secunda manu scripti perexiguam habent auctoritatem, multo maiorem, ni fallor, qui tertia manu additi sunt.

omnibus his locis novae scaenae initium statuit. iam vero postquam in *Pers.* v. 726 scaenae distinctio reprobata est[1]), vide quam egregie Palatini nobis probentur. v. 710 et 711 fabulae actio ad summum venit. Sagaristio abiit; leno in insidias quas Toxilus ei paraverat ita incidit, ut exsolvi nullo pacto possit; iam ad actionem novam transitur. restat enim, ut leno prorsus opprimatur et obruatur adventu Saturionis. qua in condicione vides novam scaenam non solum apte institui, sed paene efflagitari rationis necessitate. quod perspexit non profecto librarius quilibet, sed ille, qui scite et rationem magis quam praestitutas regulas secutus scaenas primus divisit. deinde hoc quoque reputandum est, cum in v. 726, ne in duas partes divideretur, distinctio institui non potuerit, ante v. 711 locum unice aptum esse novae scaenae, cuius in titulo Saturio nominetur. neque id obest, quod continuati senarii interstitio dirimuntur raro sane exemplo, sed non inaudito, quoniam ex vetere memoria idem factum est in scaena *Pseud.* IV 3, cuius titulus in B est ‚Servos DV'. itaque quam P praebent divisio scaenarum ab omni parte vindicata est.

Eadem rerum condicio, quae in Persae loco quem modo tractavi, extat *Most.* 933. hic quoque factum est, ut Theopropides in foveam inciderit. Tranio abit; iam fit quasi actionis inclinatio, cum Phaniscus et advorsitor, qui per antecedentem scaenam taciti in scaena adfuerant, progrediuntur. etenim inde ab hoc momento paullatim omnia Tranionis mendacia deteguntur et Theopropides se nequiter defraudatum esse cognoscit. itaque suo iure P novam scaenam exordiuntur, quam Ambrosiani corrector antecedenti continuavit.

His omnibus locis vix quisquam sit, quin distinctionem scaenarum in A sublatam secundum P servandam esse concedat. ex altera parte minime negaverim Palatinos quoque hic illic scaenas falso coniungere aut dividere; in quos ne iniquius agamus, eam rationem teneamus necesse est, quam per totam hanc commentationem secuti sumus, ut eos tantum locos respiciamus, quibus Ambrosiani quoque scriptura nobis praesto est. inter quos duo sunt, quibus in P peccatum est.

In *Epidici* scaena quae nunc numeratur III 4 media iussu

[1]) Ceterum 725—730 scaenicae retractioni deberi videntur; cf. Goetz *Act. soc. Lips.* VI p. 300.

Periphanis fidicina a servis educitur militique v. 475 traditur verbis ‚Age accipe hanc sis'. cui versui qui in A antecedit, scripturam non continet, id quod Spengelius novae scaenae indicium esse recte vidit; in P nova scaena ideo instituta non esse videtur, quod fidicina verba non facit, sed usque ad v. 496 mutae personae partes agit.

Denique in *Most.* V 1, 16 (v. 1064) post Tranionis monologum A recte novam scaenam instituit, cum Theopropides progrediatur; quam P perperam monologo continuant nominibus Theopropidis et lorariorum versui V 5, 1 (1041) praescriptis.

Iam paullulum subsistamus, ut quid ex nostra disputatione ad rem redundaverit brevi comprehendamus. vidimus igitur Ambrosianum carere quattuor gravissimis testimoniis, quibus servatis Palatini cui aetati communis Ambrosiani et Palatinorum archetypus adsignandus sit dilucidissime demonstrant: etenim sublatae sunt in illo litterae istae Graecae, quibus partium inter actores distributio definitur[1]), sublatae sunt illae notae C et DV, quibus ad fabularum actiones rite instituendas opus erat; quocum artissime cohaeret quod in eo deletae sunt omnes scaenarum distinctiones, quarum ratio ac causa non externis quibusdam indiciis cognoscitur, sed in mutatis pronuntiandi et cantandi modis condita est. demum sublata est illa titulorum forma, quae antiquitatis propria erat, eiusque in locum novicia concessit non sine violentissimis conaminibus inducta. quae omnia si computaveris et recordatus sis quotiens Ambrosiani versus elegantiae fraudulentam speciem prae se ferant, prae qua Palatinorum veram atque antiquam sed asperiorem diligentissima demum de Plauti usu dicendi quaestione habita vindicare contigit: paene dixeris, auctorem recensionis Ambrosianae remotis omnibus, quae ad scaenicam actionem pertinebant, id unum egisse, ut quasi in usum elegantiorum hominum Plauti fabularum compararet exemplar ad legendum quam commodissimum.

Quod vero ad textum ut verbo utar Plauti constituendum pertinet, nec Ambrosianae nec Palatinae recensionis auctor hanc operam omnem suo Marte susceperunt, sed alios quoque fontes adierunt, quales eis praesto erant in aliis histrionum exemplaribus. ingentem enim earum in utraque recensione differentiarum

---

[1]) Cf. Steffen *de actor. fab. Ter.* p. 116. W. Wagner in Bursiani *Jahresber.* I (1873) p. 446 sqq.

multitudinem, quibus nulla omnino mutandi causa ac ratio dispici potest, ex eiusmodi exemplaribus petitam esse mihi persuasum est. etenim qui in fabulis Plautinis ita grassati sunt, ut ab integris scaenis audacissime retractandis non abhorrerent, singulos quoque versus et verba attigisse consentaneum est; nemo enim est quin sciat quantas mutationes omnium quae in scaena aguntur fabularum verba subeant histrionum opera, sive novos versus ludibundi addunt sive in locum vocabulorum, quae ipsis minus placent, aptiora quae videntur substituunt, ordinem verborum mutant, alia similia conantur. cuiusmodi mutationes cum ad histriones referam, egregie adiuvor comparatione tragoediarum graecarum, in quarum libris manuscriptis quales turbas histrionum conamina moverint sat multis locis manifestum est, nonnullis etiam scholiastarum disertis testimoniis evincitur; qua de re vide quae collegerunt Dindorfius in indice *schol. Eurip.* s. v. ὑποκριτής et Bergkius *Griech. Litt.-Gesch.* III p. 70—72. at modicus est numerus eiusmodi locorum in illis, quippe quarum integritatem leges rei publicae quodammodo servarent, ingens est in fabulis Plautinis, quae simulac e manibus poetae prodierunt histrionum licentiae omnino traditae erant. verissimum igitur duco Bergkii iudicium, quod l. c. tulit: ‚Ein Drama vollständig zu überarbeiten und den Wünschen des Publikums entsprechend zurecht zu machen, was sich die römischen Schauspieler mit den Comoedien des Plautus erlaubten, hat man wohl nur selten gewagt.' idem tamen, qui ex tali histrionum opera frequentes codicum discrepantias primus repetivit, exemplis ad hanc rem demonstrandam tam non aptis usus est (*Beitr. z. lat. Gramm.* p. 132), ut suo iure Schoellius (*Anal. Plaut.* p. 1—14) eius rationem impugnasse videatur et usque ad hos dies nemo quod sciam ad hoc corrigendi genus reverti conatus sit. me vero Augustus Reifferscheidius, praeceptor illustrissimus, adhortabatur ne Bergkii iudicio neglecto in aestimandis recensionum discrepantiis ad histrionum licentiam parum attenderem; idque consilium quo diutius persequebar eo magis mihi probatum est. sane fatendum est non paucis locis utrum histriones an grammatici auctores mutationum habendi sint non posse cum fide diiudicari. namque etsi saepenumero mutationes quasdam, quae ab histrionibus profectae sunt, certissime negare poterimus a grammaticis factas esse, non eadem confidentia mutationes grammaticas non potuisse ex histrionum exemplaribus in nostros codices transferri audebimus contendere.

videlicet quae grammaticos inprimis ad mutationes faciendas commoverunt rationes, prosodia vetusta, formae obsoletae, structurae insolentiores, easdem quis negaverit etiam histrionibus potuisse ansam dare mutandi ? neque magis de scaenica discrepantiarum origine omnibus locis, quos in hoc caput congregavimus, plane nobis constitit; immo haud ita raro grammatici quoque merae mutandi libidini fere eundem in modum indulserunt. sed quoniam singulos locos certis corrigendi generibus subici necessarium erat, alterius utrius generis discrepantias scripturae propriis capitibus comprehendimus, non unoquoque loco differentiae originem aut grammaticam aut scaenicam spondentes, sed, quamvis in universum bipertitionis institutae ratione firme confidamus, in singulis tamen id cummaxime appetentes, ut similes locos cum similibus conferremus et rationes corrigendi dilucidissime ostenderemus. quam rationem si hic illic viri docti improbabunt et sub aliud atque nos iudicaverimus genus corrigendi quosdam locos cadere arbitrabuntur, non labefactabit opinor aut rationis veritatem aut quod ex nostra enarratione consequatur iudicium de recensionum auctoritate.

Ut ad ipsam rem viam nobis muniamus, proficiscendum est ab archetypo, ex quo omnes codices Plautini pendent. in quem quin ex alio quodam exemplari histrico (sive plura malueris) non pauca translata sint nemo dubitat.[1]) ex cuius rei manifestis quae praesto sunt argumentis commemoro Poenuli alterum exitum, qui non aliter atque Andriae Terentii, cum fabula iterum ageretur, ab histrionibus in locum vere Plautini subiectus est. eadem intercedit condicio inter *Poenuli* versus 275—280 et 289—296, quorum cum hi nonnullorum versuum spatio ab illis distent, manifestum est alteram versuum seriem ex alio fonte desumptam primum margini adscriptam esse et postea demum falso loco in continuitatem versuum inrepsisse; praeterea cf. 917—922 et 923—929, quos integros versuum ordines cum in suos libros transferret qui recensionem principem confecit, aut non intellexit illos versus, qui ex exemplari histrico accedebant, esse parallelos iis, quos in suo exemplari inveniebat, quocirca iis librum suum ditavit, aut si intellexit, non ausus est diiudicare utri versus a

[1]) Cf. egregia Goetzii commentatio *Dittogr. im Plautustext* inprimis p. 269 sqq. 277 sqq., ubi simul eorum, qui ante eum hac in quaestione elaborarunt, mentionem factam invenies.

Plauto profecti fuerint, quodpropter religioni ita satisfaciendum esse putavit, ut utrosque memoriae traderet. cuius rei permulta exempla *Poenulum* inprimis perlustrans invenies.[1]) eandemque rationem alibi quoque secutus est. neque magis dubium est quin eodem modo non omnes sane sed magna pars versuum interpolatorum archetypum invaserit. in singulis versibus maximeque in singulis verbis, quibus a suo exemplari alterum differebat, iudicium illi correctori expeditius fuisse consentaneum est; non igitur utramque scripturam ubique recepit, id quod e. g. fecit *Stich.* 158, sed libero plerumque arbitrio alteram elegit ac pro Plautina iam venditavit; quo cum factum sit ut correctionis certe plurima exempla detegere omnino non possimus, tamen non desunt quaedam vestigia. velut in *Pseud.* 954. 955 in P est:

illuc sis vide:

Non prorsus[2]), verum ex transverso cedit, quasi cancer solet

idemque in A fuisse concludere licet ex his eius reliquiis ‚Non prorsus v . . . . .'. qui versus, cum per se ne minimam quidem suspicionem iniciat, nihilo minus posthabendus est ei, quem praebet valde discrepantem Varro *de l. l.* VII 81:

Ut transversum, non proversus cedit, quasi cancer solet.

ea enim structura sermoni Plautino convenit; cf. *Aul.* 46 sq. ‚illuc sis vide, ut incedit'. *Mil. glor.* 200 sq. ‚illuc sis vide, quemadmodum astitit' e. q. s. *Stich.* 270 sq. ‚hoc vide, satis ut facete . . . astitit'. itaque similem discrepantiam habemus, atque inter A et P extat *Pseud.* 156, ubi ‚hoc vide sis, ut alias res agunt' P, ‚hoc videas: alias res agunt' A exhibent.[3]) sed ea mutatio, quam in codicibus v. 955 invenimus, ecquid redolet grammaticum an non potius histrionem, cui sua verba tam audacter quam scite inventa melius placent, quam poetae? praesertim cum ea dictio, quam codices praebent, a sermone comico non tam aliena sit, quam Loewio (*Anal. Plaut.* p. 163) visum est; cf. *Bacch.* 137 ‚illuc sis vide: non paedagogum iam me, sed

[1]) Hic non omiserim afferre locum, in quem Bergkius Goetziusque oculos converterunt legiturque in *anecd. Parisino* (in Reifferscheidii Suetonio p. 137 sqq.): ‚antisigma cum puncto ponebatur, cum eiusdem sensus versus duplices essent et dubitaretur qui potius legendi; sic et apud nostros.'

[2]) Cf. Brixius ad *Mil. glor.* 1193.

[3]) Neque tamen hic versus in hoc caput recipiendus fuit, quia ipsum Ambrosiani correctorem corruptela archetypi ‚at vide sis, ut', quam P adhuc ostendunt, ad mutationem commotum esse demonstravimus p. 24.

Lydum vocat'. *Pers.* 595 ,vide sis: ego ille doctus leno paene in foveam decidi'.

His quam brevissime absolutis iam intellegitur per se nihil obstare quominus etiam archetypos et Ambrosiani et Palatinorum idem perpessos esse credamus; et revera hoc factum esse liquida argumenta demonstrant.[1])

Versus *Stich.* 48—57 in solis P leguntur, in A numquam extiterunt; quos non vulgari grammatici cuiusdam interpolationi deberi, sed ,relictos esse e tali recensione huius fabulae, qua novae actioni scaenicae aliquanto post Plautinam aetatem consuleretur' Ritschelius (*praef.* p. IX) recte cognovit.[2]) alterum eiusdem generis exemplum detexit Studemundus (*Festgruss* p. 43). *Bacch.* 540—551 iterum ampla versuum series in P legitur, quam in A neque nos conspicimus neque nisi omnia fallunt Charisius vidit, qui p. 184 *K. Bacch.* v. 545 citans addit ,in quibusdam non ferunt' (*feruntur* Ritschelius), respiciens is ut Studemundo videtur non hunc tantum versum sed vv. 540—551. de quibus audiamus Studemundi iudicium: ,Dass die V. 540—551, ohne den Gedankenzusammenhang zu zerreissen, fehlen können, leuchtet sofort ein. Dass die Lebhaftigkeit der Unterhaltung zwischen dem aufgeregten Mnesilochus und seinem Freunde Pistoclerus das Fehlen der Verse, gemäss der Plautinischen Sitte, geradezu fordert, wird zugeben, wer die vorhergehenden und nachfolgenden Verse mit ihren kurzen Fragen und Antworten unbefangen betrachtet. Es liegt hier in den Versen 540—551 eine jener weitschweifigen moralisierenden Auseinandersetzungen vor, womit bei späteren Aufführungen die Plautinischen Stücke auch sonst häufig interpoliert scheinen'. quibus exemplis certum fit Palatinorum quidem correctorem ad alius cuiusdam codicis normam suum exemplar correxisse. attamen noli Ambrosianum eiusmodi additamentis immunem credere. immo non pauciores in eo apparent interpolationes, quas tamen ob Ambrosiani summam quae putabatur praestantiam nemo in suspicionem et examen vocavit.

Ut a minoribus ad maiora escendamus *Stich.* v. 535 in A solo lectum

---

[1]) Cf. etiam Leidolphus p. 217. 218.

[2]) Accuratius locum tractavit Goetzius l. c. p. 272 sq.

Haec si ita ut volo conficio, continuo ad te transeo
Ritschelius iure eiecit, ‚ut ad similitudinem v. 623
Deos salutabo modo: poste ad te continuo transeo
fictum‘. quem fortasse grammaticus addidit. at scaenicae recensioni sine ulla dubitatione tribuo v. 387 ne eum quidem in P extantem
Spés est, tandem aliquándo importunam éxigere ex uteró famem [1]),
quem finxit histrio, versuum 160—166 recordatus. adulterinam originem ostendit infinitivo praesentis ‚spes est tandem aliquando exigere famem‘ adhibito, pro quo Plauti consuetudine efflagitatur infinitivus futuri; cf. *Epid.* 332. *Men.* 1102. *Stich.* 22. *Truc.* 886. sed longe graviora interpolationis exempla in Sticho extant. neque enim in ulla alia fabula numerus versuum Ambrosiani a Palatinorum adeo discrepat; at quibus ille nos donavit novis versibus, eorum si non omnium certe plurimorum origo perquam suspecta est.

Velut *Stich.* vv. 423—430 haec in P est species:

423. Et ius et aequom postulas: sumas, Stiche,
In hunc diem: te nil moror. abi quo lubet.
Cadum tibi veteris vini propino. ST. papae,
426. Ducam hodie amicam. EP. vel decem, dum de tuo.
430. Ubi cenas hodie? ST. sic hanc rationem institi e. q. s.

ubi ex A inter vv. 426 et 430 tres novi prodierunt lectu difficillimi, quos supplere studuerunt Goetzius (in editione) et F. Leo (*Mus. Rh.* XXXIX p. 470), quem sequor.

ST. Quid? hoc etiam unum? EP. quid id autem unumst? expedi.
ST. Ad cenam ibone? EP. si vocatu's, censeo.
ST. Sic hoc placet: rogato, quo eam. EP. nil moror:
Ubi cenas hodie? ST. sic hanc rationem institi.

ac primum quidem ex sententia eorum vix quisquam Plautinae originis documentum ceperit; nam ne tantillum quidem novi afferunt et sine ullo negotio desiderari possunt, id quod in eiusmodi versibus, quos altera recensio non continet, certe notandum est. in argumento autem prorsus ad ineptias delabuntur. nihil enim in iis agitur, nisi ut per miras ambages tandem oratio perveniat ad interrogationem tritissimam ‚ubi cenas hodie?‘. deinde nescio num recte sentiam, si contendam interrogationi ‚ad cenam

[1]) Goetzius adn. crit. ad v. ‚Dubito de hoc versu‘.

ibone?' tum tantum locum esse, si Epignomum Stichus movere volebat, ut se ad cenam invitaret. denique quod Epignomus, quamquam ,nil moror hanc rem' dixit, tamen interrogat ,ubi cenas hodie?', usui Plautino quam maxime contrarium est. in singulis autem verbis horum versuum auctor ex antecedentibus et sequentibus versibus quaedam mutuatus est; cf. v. 429 ,nihil moror' cum 424 ,te nihil moror'; v. 428 ,ad cenam ibone?' cum 430 ,ubi cenas hodie?' v. 429 ,sic hoc placet' cum 430 ,sic hanc rationem institi'.

Gravissimi autem momenti sunt vv. 441—445, quo loco iam Ritschelius ,duarum recensionum partes *παραλλήλους*' haberi suspicatus est. Palatinos si sequimur, sic Stichus sermocinatur:

437 Iam hercle ego per hortum ad amicam transibo meam,
Mi hanc occupatum noctem: eadem sumbolam
Dabo et iubebo ad Sagarinum cenam coqui,
440 Aut egomet ibo atque obsonabo obsonium.
446 Atque id ne vos miremini, homines servolos
Potare, amare atque ad cenam condicere:
Licet haec Athenis nobis.

apte et concinne vides sententias procedere. at A post v. 440 quinque versus habet, quos ex F. Leonis (l. c.) restitutione apponere iuvat:

441 Sagarinus, quom iam hic aderit cum domino suo,
Servos homo, quibus ei obferam cenam modis?
Advorsitores duo cum verberibus decet
Dari, ut iam verberabundi eum adducant domum.
445 Parata res faciam ut sit. egomet me moror.

manum histrionis interpolatricem manifestam deprehendimus. versus 443. 444 consentaneum est dici non posse, nisi quis, quem iam pridem advenisse oportet, frustra expectatur. Sagaristio autem a Sticho nunc quidem omnino non expectatur. mandaverat enim Sticho ut ad Stephanium iret, suis verbis salutem ei adventumque instantem nuntiaret, denique cenam coquendam curaret; cf. v. 652 sqq. 432—439. quorum cum nihildum Stichus perfecerit modo ipse reversus, qui tandem Sagaristionis adventum iam nunc tam vehementer exoptare potest? ecce histrio, qui cum novis facetiis illatis audientium risum excitare studeat, rerum condicionis non semper satis curiosus est! cum quibus versibus ceteros una damnandos esse paene consentaneum est. interrogatio enim ,quibus modis ei offeram cenam?' ineptissima est, cum quo-

modo cenam instructurus sit Stichus accuratissime iam exposuerit vv. 430—440. ,servos homo' prorsus inutiliter dictum (cf. 433), ,cenam offerre' omnino Plautinum non est. ultimus versus misere consarcinatus est. ,egomet me moror' similesque formulae (,quid ego cesso currere', ,nimis diu ac longum loquor', al.) eorum sunt, qui aut ad negotium absolvendum quam maxime properant, aut ne abeant eo tantum quasi inviti retinentur, quod nova persona in scaenam prodit. at Stichus adeo non festinat, ut nunc demum cum auditoribus colloquatur.

Ambiguum est iudicium de versibus 590. 591 in A scriptis, quorum noviciam originem suspicari, sed vix demonstrare possumus, cum corrupti ut videtur et lacunosi aetatem tulerint eorumque restitutio incertissima sit. in quibus quae certa sunt

Et equidem si ———, vos invitassem domum
Ad me, sed ——— nihil est, atque hoc scitis vos

profecto ab interpolatore facile addi poterant facileque desiderantur. contrariam autem continent sententiam versibus 471—482; cf. inprimis 476: ,Quid gravare? censeas: Nescio quid hercle vero habeo in mundo'.

Sed utut de hoc loco viri docti sententiam dicent, hoc certum est, Stichum fabulam ab histrionibus totis versuum ordinibus auctam esse, quos deinde auctor recensionis Ambrosianae in suum exemplar recepit. quod postquam gravissimis documentis confirmatum est, optimo iure alibi quoque si qui novi versus ex A prodeunt, qui non omnibus numeris nobis probantur, Plautinam eorum originem addubitare licebit.[1]) cuiusmodi loci sunt:

Most. 1054 Tranioni doli male ceciderunt; ipse iam intellegit erum non posse latere offucias suas:

Nam scio equidem nullo pacto iam esse posse haec clam senem.[2])

---

[1]) Quam rationem viri docti, ubi de versibus ex P accedentibus agebatur, sedulo secuti sunt. in Ambrosianum eandem adhibere nimia eius admiratione praepediti plerumque supersederunt.

[2]) Studemundus *Festgruss* p. 67: ,Der Vers Nam scio u. s. w. ist in A seiner Länge wegen vor den Worten clam senem, welche die Zeile 15 einnehmen, gebrochen, und da hinter iam esse in A am Zeilenschluss (Z. 14) ein H . . . hinzukommt, so wird man v. 1054 vielmehr so zu schreiben haben: „ . . . . iam esse posse haec clam senem". Damit ist zugleich dieser Gedanke abgeschlossen.'

vix haec dixit, cum Theopropides egreditur, cuius primis verbis, quae Tranio metuerat, confirmantur. en habes strictum et praecisum orationis progressum. A vero post v. 1054 quinque[1]) versus inserit, quorum quid primis quattuor fuerit ne Studemundus quidem dispexit. sed ultimus solus

Praeoccupabo atque anteveniam et foedus feriam: me moror sufficit ad interpolationem detegendam. ac primum quidem dictionem vix quisquam laudaverit; *praeoccupabo* et *anteveniam* eiusdem sunt significationis; coniunctionum *atque* et *et* usus satis incommodus; verba *me moror* ex abrupto adduntur. deinde haec deliberes velim: Tranio res a se gestas per imagines de bello (1047 sq:) et institutis publicis desumptas (1049—1051) descripserat. versu autem 1055 metaphoris relictis quem in locum res iam nunc deductae sint simpliciter narrat. eundemne nunc credamus iterum ad imaginem militarem rediisse? quod vero se anteventurum et praeoccupaturum id est novis machinationibus perniciem instantem defensurum dicit, minime quadrat ad poetae consilium, secundum quod ad finem iam fabula properat, Tranioque, quamquam fugere poterat, in scaena remanet. magna autem et nova facinora nuntiare neque quidquam perficere poetae dignum non est, sed poetastri more solito poetae imagines amplificantis proprium. deinde in eo haerendum est, quod neque quid praeoccupaturus neque cui anteventurus neque quocum foedus facturus sit dicitur. in fine autem versuum interpolatorum eandem habes formulam ‚me moror', qua *Stich.* 445 a digressionibus ad fabulae actionem denuo persequendam animum revocavit histrio; quae quam commoda ad hunc finem visa sit interpolatoribus inde videmus, quod tertium in versibus interpolatis paullulum immutata invenitur *Poen.* 924; cf. Loewius *Act. soc. philol. Lips.* VI p. 253. aliis quibusdam locis Ambrosiani memoria adeo oblitterata est, ut de argumento versuum, quos solus exhibet, nihil constet. de his igitur ita iudicandum est, ut certis iudicandi adminiculis carentes solam rationem sequamur lacunamque in editionibus non indicemus, nisi etiam Palatinorum memoriam lacunosam esse sive externis sive internis indiciis intellegitur.

Most. v. 933 Phaniscus et advorsitor in scaenam prodeunt, ut erum suum Callidamatem cum filio Theopropidis in huius domo

---

[1]) Studemundus l. c. Ritschelium corrigens.

potantem domum reducant. ostium igitur aedium, in quibus neminem habitare Tranio Theopropidi dixerat, pultant exclamantes

Etiamne aperis? Callidamati nostro advorsum venimus.

qua re miratus Theopropides interrogat

Heus vos pueri, quid istic agitis? quid istas aedis frangitis?

cui prompte respondetur ‚Erus hic noster potat' (v. 946), ‚ei advorsum venimus' (v. 947). itaque P ne levissimum quidem vestigium sive lacunosae sententiae sive spatii relicti ostendunt. at in A inter interrogationem Theopropidis et responsum sex versus extiterunt, quorum nihil fere legi potuit.

Inter *Epid.* v. 64

TH. Quid nunc me retines? EP. amatne istam, quam emit
de praeda? TH. rogas?

et, si P sequimur, proximum

Deperit. EP. hercle detegetur corium de tergo meo.

aut duo aut unus certe in A extitit versus sine dubio interpolatus. item inter 66 et 67 in eo duo versus plus quam in P extiterunt, cum nullum indicium lacunae in P perspicuum sit.

Men. 453—458. Peniculus, cum inter fori turbas Menaechmum amiserit, prandio circumventus est; qua re iratus detestatur eos, qui contionum officiis ‚occupatos' homines non liberaverint, immo ad ea ‚otiosos' delegi oportuisse ait; quos vero subintellegat ‚otiosos' statim explicatur:

Adfatimst hominum, in dies qui singulas escas edint,
Quibus negoti nihil est, qui essum neque vocantur neque vocant.
Eos oportet contioni dare operam atque comitiis.

oratio bene cadit; quae male interrumperetur duobus versibus in A interiectis, quorum auctor ni fallor senatus quoque mentionem non omittendam ratus est, ubi contio et comitia commemorarentur.

Ambiguum est iudicium de codicum discrepantia *Pers.* 605 sqq., ubi virgo a lenone emenda producitur. qui in P sunt

TOX. age, age nunc tu: in proelium
Vide ut ingrediare auspicato. VI. liquidumst auspicium: tace.
TOX. Concede si suam[1]); ego illam adducam. DORD. age ut
rem esse in nostram putas.
TOX. Sequere me; adduco hanc, si quid vis ex hac percontarier.

---

[1]) *si suam* (B[1]) aut corruptum est ex *istuc* aut, quae est Studemundi sententia, redit ad *sis iam* (sic B[2]CD).

in A Studemundo teste sunt:

TOX. age, age nunc tu: in proelium
Vide ut ingrediare auspicato. VI. liquidumst auspicium: tace.
TOX. Curato, ut praedati pulcre ad castra convortamini.
Concede istuc; ego illam adducam. DORD. age ut rem in nostram putas.
TOX. Ehodum huc virgo, vide sis quid agas. VI. taceas, curabo ut voles.
TOX. Sequere me; adduco hanc, si quid vis ex hac percontarier.

ubi Palatinorum versus sententiae plane satisfaciunt, in iis vero, qui ex A accedunt, Toxili adhortationes, ut virgo bene rem gerat, nimis coacervatae suspicionem interpolationis iniciunt, quamquam certum eius indicium inveniri nullum posse concedo; neque enim offendo ego quidem in elocutione ‚curabo ut voles', de qua infra agam. sed secundum nostram disputationem hoc rationi convenit, ut statuamus versus qui in solo A extant aut in P casu excidisse aut ad eundem fontem, unde alii multi versus petiti sunt, exemplar dico histricum, referendos esse.

De singulis versibus, quos altera tantum recensio praebet, iudicium suapte natura minus planum est; namque ubi in altera recensione complures deinceps versus, qui desiderari possunt, extare, in altera deesse videmus, casum valuisse non facile concedemus. singulos vero versus in utraque recensione librarii sat saepe mero errore omiserunt, non solum ubi ex simili duorum versuum initio aut exitu excusationem habent neglegentiae[1]), sed etiam ubi nec quid erroris ansam dederit perspici potest nec de versu in altera recensione de industria deleto cogitare licet.[2]) quodsi quis eos versus, quos in A solo servatos ego ex alio fonte derivatos iudico, in P potius casu omissos esse contendit, eum argumentis sane refellere non possum. nihilo setius ob singularem eorum condicionem eos nolo omittere.

---

[1]) Sic in A perierunt *Mil. glor.* v. 851 aut 852 (cf. Ribbeckius in ed. ad v. 846). 1405 (1402 Ribb.) *Men.* 478, quem cum Vahleno pro genuino habeo; in P *Trin.* 409. *Men.* 279. 285. *Most.* 833. 951. 990 (nisi hic in A potius interpolatus est). *Pers.* 559. 700. 730. *Truc.* 384.

[2]) Velut in A *Pseud.* 293—295. *Epid.* 597—599, quos Goetzius me quidem iudice non recte uncis inclusit, *Poen.* 424, in P *Pseud.* 422. 933. *Men.* 165. 171. 172. *Most.* 600. *Mil.* 402. *Pers.* 415. 598. *Poen.* 286. 287. *Epid.* 682.

Pers. 725—730 scaenicae retractationi deberi Goetzius l. c. p. 300 demonstravit. vv. enim 727. 728 arcessiti sunt ex 467. 468. deinde vv. 728. 729 rerum condicioni non conveniunt; nam post abitum domini Toxili turbas facit. quo cum versu nullo modo concinit qui in solo A sequitur:

Tunc, quando abiero — SAG. quin taces? scio quid velis.

de quo Goetzius: ‚Der letzte Vers sieht fast einer Interpolation ähnlich, die dem Bestreben entsprang, das Versehen im Vorhergehenden wieder gut zu machen.‘ sed nescio an in alio exemplari histrico versibus duobus antecedentibus substitutus fuerit, ut in illo sic oratio processerit:

Age illuc abscede procul e conspectu et tace.
Tunc, quando abiero — SAG. quin taces? scio, quid velis.

duplicem igitur habemus in A recensionem.

Pseud. 571—573. Pseudulus soliloquio habito de scaena abiturus haec dicit:

571 Concedere aliquantisper hinc mi intro lubet,
Dum concenturio in corde sucophantias.
573 Tibicen vos interea delectaverit.

in his nemo umquam offendit, donec Loewius *Anal. Plaut.* p. 168 investigavit versum 573 ex abrupto sequi antecedentes nec satis bene conexum esse cum iis; lacunam autem optime expleri censuit versu novo in A post 572 ab eo invento et sic redintegrato:

[Statim revortar: n]on ero vobis morae.

in quibus ego nihil nisi otiosissimam amplificationem orationis agnosco, qua quod dicitur satis accurate iam continetur voce *aliquantisper.* versum subditicium esse mea quidem sententia id satis demonstrat, quod *interea* aperte respicit ad *dum concenturio.* hunc autem non cuilibet grammatico codicem interpolanti, sed histrioni auditores alloquenti deberi nemo non videt. non magis, ut hoc data occasione absolvam quamquam ad scaenicam recensionem minus pertinet, Plauti est versus, qui post *Pseud.* 66 Studemundo sic apparuit:

Nostrorum orgiorum *[7—8 litt.]* iuncul*[1—2 litt.]*,

Loewio autem l. c. p. 153:

Nostrorum *[fere 6 litt.]* um . s*[5—6 litt.]* uncula.,

cui dubitatiunculae subnatae sunt, num *orgiorum* olim scriptum fuerit, cum *nostrorum orgiorum* metrum non patiatur; quod emendandum esse in *nostrum orgiorum* ipse indicavit eaque corruptela tam vulgaris est, ut inde veritati Studemundianae lectionis, de

qua me quidem dubitare non decet, vix quicquam abrogetur. quae vero praeterea lectionis *orgiorum* reiciendae argumenta protulit, eis ita utor, ut Loewius uti debuit, nimirum ut versum interpolatum esse inde concludam; sic autem Loewius disputat: ‚illud non levis momenti est, quod inter versus *teneris labellis molles morsiunculae* et *papillarum horridularum oppressiunculae* tam quam potest speciatim prolatos non expectamus generis, orgiorum, mentionem iniectam. accedit quod *orgia* vocabulum ante Catullum apud scriptores Romanos non comparet‘. itaque quid manifestius est quam in A deprehendi additamentum docti sed poetico ingenio haud sane praediti grammatici? quem Catulli satis gnarum fuisse etiam magis appareret, si in fine versus re vera extiterit *osculatiunculae,* quod ad ultimi vocabuli reliquias bene (dixerim equidem unice) quadrare Loewius dixit; nam *osculatio* quoque vocis primus auctor est Catullus 48, 5.

Most. inde a 971 Phaniscus Theopropidi, quem non novit, filii facta narrat:

Qui postquam pater ad mercatum abiit, hic tibicinam
Liberavit.

quo obstupefactus Theopropides Phaniscum et advorsitorem sic interpellare pergit:

Philolachesne ergo? PH. ita. Philematium quidem.
TH. Quanti? ADV. triginta talentis. PH. μὰ τὸν Ἀπόλλω,
sed minis.

in A additus est versus

TH. Liberavit? PH. liberavit illanc triginta minis,

quem interpolatum esse Ritschelius vidit; cf. 974. 975.

Iam Ambrosiano relicto revertimur ad Palatinos, quorum qui in A desiderantur versus interpolati ad unum omnes a viris doctis iam reiecti sunt, ut argumentis alienae originis afferendis supersedere possim. egi iam supra de *Stich.* 48—57 et *Bacch.* 540 ad 551. ad reliquos priusquam transeam liceat afferre quod Goetzius l. c. p. 270 adn. de iis disputat: ‚Bei der sonst im Wesentlichen übereinstimmenden Überlieferung von A und B sind zwei Möglichkeiten der Erklärung gegeben. Entweder standen die unechten Partien in der gemeinsamen Quelle und wurden erst später aus der Recension des A ausgeschieden, oder sie standen nicht darin und wurden erst später aus anderweitiger Überlieferung in B beigefügt. Welche Annahme den Vorzug verdient, lässt sich im Allgemeinen schwer sagen; im Stichus hat nur die

erstere Wahrscheinlichkeit'. ubi ego in contrariam partem discedo. namque — ut intra *Stichi* fines nos teneamus — cum in ea versus 535. 387. 427—429. 441—445, quos scaenicae retractationi deberi demonstrasse mihi videor, in A solo extent, versus autem 48—57, qui item ex eiusmodi retractatione eaque diversa ab illa, in solis P, si Goetzii sententia amplectenda esset, omnes hi versus in communi utriusque recensionis archetypo ψ fuissent; illud autem exemplar α, quod Ambrosianae recensionis auctor ad emendationem codicis a se confecti adhibebat, cum ψ versus 535. 387. 427 ad 429. 441—445 interpolatos communes habuisset (absque hoc fuisset, eos quoque delevisset), non vero 48—57; contra alterum exemplar histricum π, quod eundem in finem auctor recensionis Palatinae adhibebat, cum ψ versus 48—57 item interpolatos communes habuisset, non vero 535. 387. 427—429. 441—445. itaque iamnunc nova quaestio exoritur, undenam in exemplar α versus 535 rell. et in exemplar π versus 48—57 pervenerint, quomodo igitur similitudo una et diversitas tam inter ψ et α, quam inter ψ et π explicanda sit. vides in difficultates inextricabiles nos implicari Goetzii opinione. at vide quam facile omnia expediantur, si mecum credis, quod ad persuadendum quam maxime appositum est: exemplaria illa histrica, ad quorum normam auctores et Ambrosiani et Palatinorum recensionis libros suos corrigebant, et ipsa interpolata fuisse; itaque si quos versus in illis ii, qui recensiones condebant, invenerunt novos, iis libros suos auxerunt; versus vero, qui in illis exemplaribus histricis non extabant, in ipsorum autem codicibus legebantur ex archetypo utriusque recensionis propagati, eos nequaquam eam ob causam deleverunt; quid enim magis consentaneum est, quam ut illos versus in suis codicibus, hos in illis exemplaribus histricis periisse putarent? nam de eorum origine aut Plautina aut subditicia quaestionem vix instituerunt. ea igitur ratiocinatione ductus de tota hac quaestione iudicavi.

In P autem scaenicam originem[1]) redolent:

Epid. 109—111 quis erit vitio qui id vortat tibi?
‖ Qui invident, omnes inimicos mihi illoc facto repperi.
At pudicitiae eius numquam nec vim nec vitium attuli.
‖ Iam istoc probior es meo quidem animo, cum in amore temperes.

cf. Goetzius l. c. p. 270 adn.

[1]) Ineptas interpolationes, velut post *Pseud.* 696 al. omnino non curo.

Epid. 518—520

Eamne sinam ego [1]) inpune? immo etiam si alterum
Tantum perdundumst, perdam potius quam sinam
Me inpune irrisum esse habitum, depeculatum. [2])

qui versus ex exemplari histrico, ut opinor, arcessiti et margini olim adscripti non solum graviores turbas traxerunt, sed etiam falso loco in versuum ordinem invaserunt; quorum auctor eos non addidit versibus 517. 520

Quid nunc? qui in tantis positus sum sententiis,
Ei seic data esse verba praesenti palam!

sed substitui potius eorum loco voluit.

Bacch. 512 sqq. trium versuum duplex in P memoria tradita est; altera, in A quoque servata,

Verum quam illa umquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propensior [3])
Mendicum malim mendicando vincere,

altera, post v. 519 in P tantum extans,

Sed autem, quam illa umquam meis opulentiis
Ramenta fiat gravior aut propensior
Mori me malim-excruciatum inopia.

quas praeter ius Ritschelius Hermanno duce confudit, cum eum tantum, quem priore loco posui, ordinem versuum exprimi ratio critica iuberet. alter vero dignus est de quo accuratius agamus. in quo memorabiles sunt coniunctae voculae *sed autem* et pluralis numerus *opulentiae*, quod utrumque Plautinum est; deinde cum ‚gravior fiat aut propensior‘ excogitaverit versuum auctor, mireris eum in vocis *gravis* usum prorsus singularem incidisse, cuius unum tantum quod sciam exemplum apud Plautum extat *Truc.* 96:

Ne qui adventor gravior abaetat quam adveniat.

in tertio denique versu hiatum in caesura senarii semiquinaria ab eodem vitatam non esse vides. [4]) quem numerorum non aeque ac linguae comicae peritum fuisse etiam versus primi metrum

---

[1]) ‚ego sinam‘ codd.

[2]) Qui versus quomodo sanandus sit incertissimum est.

[3]) Cf. *Rud.* 1016: ‚Numquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.‘

[4]) Idem habes in v. ad *Stich.* 207 adiecto ‚Ipse egomet quam ob remauctionem praedicem‘, ubi alterum versum sententiam videlicet primariam continentem casu periisse suspicor. quod si verum est, hic quoque eiusdem sententiae duplicem formam ex antiquitate repetitam habemus.

claudicans prodit. nihilo minus adsentiri non possum Goetzio l. c. p. 236, qui hos versus misera interpolatorum inventa esse censet; ego quidem saeculo septimo eos ob notitiam sermonis comici adsignaverim effictosque putaverim in iteratis actionibus.

Eidem fortasse auctori debetur versus, qui prope ab hoc loco in P legitur post 507 interpolatus:

507 Nam iam domum ibo atque aliquid surripiam patri.
507ª Id isti dabo. ego istanc multis ulciscar modis.

Integrorum versuum ex exemplaribus histricis derivatorum agmen claudat *Merc.* 555.[1]) in AP hic versus extat:

Nunc tamen interea ad me huc invisam domum;

quom in P hic sequitur:

Interea tamen huc intro ad me invisam domum.

prioris igitur versus in P gemellam habemus formam paris cum illo, si verba sola spectamus, pretii. sic vero non luserunt grammatici, sed est haec diversitas formae ex eo genere, quales in fabulis agendis quasi suapte sponte prodeunt sensimque in ipsa fabularum exemplaria serpunt. cf. *Poen.* 304 et 305. Ritschelius *Op.* II p. 290, qui aliter sane rem expedit. quocirca si similis generis differentias inter recensiones Ambrosianam et Palatinam intercedentes invenimus, quin item duplex memoria ex antiquitate repetita agnoscenda sit iam non poterimus negare. quarum praesto sunt exempla quam maxime memorabilia.

Merc. 267. 268. Demiphoni in somnis apparuerunt simia haedus capra; quae quid sibi velint cum coniecturam facit, haec dicit, si A sequimur:

266 Nunc hoc profecto seic est: haec illast capra.
Verum hercle simia illa atque haedus m[ihi malum][2])
Adportant. atque eos esse quos deicam hauscio.

P praebent:

Nunc hoc profecto sic est; haec illast capra.
Sed simia illa atque haedus timeo quid velint.

in quibus non vulgarem correctionem metricam, qualem miris ambagibus Niemeyerus p. 27 describit, sed duplicem eiusdem

---

[1]) Cf. simillimus locus *Capt.* 1022 sq., de quo non consentio Goetzio l. c. p. 236. deinde *Pseud.* 523. *Merc.* 982, de quibus cf. Ritschelius *Nov. exc. Plaut.* p. 30 sq.

[2]) Etiamsi ‚mihi malum' in A non fuit (cf. Goetzii adn. ad v.), sine dubio simile quid fuit, quod etsi ignoramus non tanti est, ut iudicio de loco ferendo omnino nobis abstinendum sit.

sententiae formam nobis servatam esse nemo semel monitus negare potest, simulque eam non ludibundo grammaticorum ingenio deberi, sed ex alia fabularum Plautinarum recensione eaque scaenica depromptam esse locorum quos modo tractavi analogia cuique opinor persuadebit.[1]) quod ut statuatur recteque intellegatur longe pluris est, quam ut utra recensio scripturam genuinam servaverit diiudicetur, quoniam utraque sine dubio ex ipsa antiquitate repetita est. attamen examinemus utriusque recensionis scripturam, ut quam iniuste editores Palatinorum memoriam spreverint cognoscatur. ac primum quidem Palatinorum unus versus a nulla parte reprehensionem praebet; immo commendatur eo, quod eandem sententiam, quae in A per duos versus dilatata est, breviter et concinne dictam continet.[2]) Ambrosianum autem interpolatum esse quo probetur non deest liquidum indicium a Ritschelio iam animadversum sed a reliquis omnibus neglectum. quae enim est loci condicio, nullo modo ferri potest *adportant*, quod verbum praeter genuinam significationem (= manibus aliquid adferre) translata sane usurpatur, ita tamen, ut a naturali notione non nisi paullulum recedat; velut dicitur nuntium, bonum, rem novam, novam comoediam, sim. adportare; cf. *Stich.* 295. *Most.* 461. Ter. *Phorm.* prol. 24. *Heaut.* 427. 747. *Ad.* 856. itaque optime Ter. *Andr.* 73 Sosia dicit: ‚Ei vereor ne quid Andria adportet mali'; ipsa enim Andria mali auctor est. non vero apte hoc loco usurpatur illa vox, cum somniorum infaustae visiones non aliter atque auspicia sacrorum calamitates non afferant, efficiant, sed nihil nisi iam instantes praedicant.

---

[1]) Non possum non afferre locum simillimum *Poen.* 301 sqq., ubi duplicem formam sententiae eiusdem archetypus Ambrosiani et Palatinorum communis memoriae tradidit, alteram

Bono me[d] ingenio esse ornatam, quam auro multo mavolo.

alteram

Aurum fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
Bonam ego quam beatam me esse nimio dici mavolo.

‚aurum fortuna' scripsi; ‚aurum in fortuna' P, ‚aurum id fortuna' A; voce *id* Ritschelius usus est, ut versus alterum et tertium ex alia comoedia arcessitos esse ostenderet (*Op.* II p. 290 sq.). at qui hos versus finxit, ei ante oculos fuisse v. 301 prorsus manifestum est; nam anxie eum imitatus est v. 303. itaque versus huic Poenuli loco ab initio destinati erant. *id* autem nullo modo ferendum est; correctum est ex *in*, quod ipsum propter sequens *invenitur* vitio librariorum paene sollemni additum est.

[2]) De ‚simia atque haedus timeo quid velint' cf. v. 254.

,portendunt' igitur expectari Ritschelius verissime dixit. pro testimoniis sint *Curc.* 272 ,ne forte eveniat tibi magnum malum, Quod in quiete tibi portentumst'; *Poen.* 749. 1205.

Non magis quam hoc loco retractatio metrica a correctore ipso instituta statuenda est *Stich.* 632 sq., ubi ni omnia fallunt neuter versus ab ipso Plauto profectus est, sed uterque histrionibus debetur.

A: Iámne abierunt? Gélasime vide, núnc consilio cáro[1]) opust.

P: Iámne abisti? Gélasime vide, quíd es capturus cónsili.

Ritschelius cum inter v. 632 et 635, quem numerabat, sententiam hiare videret, utraque recensione adhibita hos versus edidit:

Iamne abis tu? [abit profecto]. nunc consilio sano opust.
[Ambo abi]erunt: vide Gelasime, quid capturu's consili.

quos vereor ut cuiquam probaverit. praeter quem omnes quod sciam, qui de hoc versu egerunt, Ambrosiani versum pro vere Plautino habuerunt, nisi quod Beckerus (Studem. *stud.* I p. 208) certo iudicio abstinet. at huic quoque quae obstant satis gravia sunt. ac primum quidem ,iamne abisti?', quod P praebent, ferri nequit; quae elocutio sic tantum adhiberi potest, ut quis personam, quacum collocutus est cuiusque abitum non animadvertit, quasi adhuc praesentem alloquatur; velut *Truc.* 633. 634

Quid mihi futurumst, quoi duae ancillae dolent,
Quibus te donavi? iamne abisti? — em sic datur.

cf. *Men.* 550. *Merc.* 791. deinde indicativum in interrogatione obliqua falso positum esse Beckerus *stud.* I p. 208 demonstravit. qui cum *sit* reponat et metri gratia ,iamne abiit?' scribat atque ita hunc versum in archetypo Palatinorum fuisse censeat

Iamne abiit? Gelasime, vide, quid sis capturus consili,

fecit, quod rationi contrarium est; emendavit enim non librariorum errores, sed ipsius qui versum invenit vitia. nos versum ut traditus est relinquimus potius, sed a Plautinorum communione segregamus. quod autem ad Ambrosiani versum attinet, hoc certum est, *caro* deberi interpolationi, quod epitheton nullo pacto aptum est. quam Loewius *Anal. Plaut.* p. 184[2]) proposuit scrip-

---

[1]) Studemundus ap. Beckerum l. c. p. 208.

[2]) Ubi quod in A *capto* potius, quam *caro* fuisse contendit, postea retrectasse videtur; nam in ed. *caro* in A esse refertur.

turam sine dubio restituendam *capto*, et ipsa satis languet — neque enim adiectivo velut *calido*, *scito* sim. ad *consilio* addito carere possumus — et removet nisi omnia fallunt id, quo interpolatoris opera detegitur. deinde hoc me offendit, quod a voce *vidé* non sententia aut finalis aut interrogativa pendet, id quod apud Plautum fieri solet, ubicumque haec vox deliberandi, animum attendendi, prospiciendi notionem habet. itaque haud scio an de Ambrosiani versus origine idem valeat, quod de versu Palatinorum.[1])

Merc. 547. 548. Demipho senex amori se obtemperaturum esse confirmat his verbis:

A: Breve iam relicuom vitae spatiumst: quin ego
Voluptate, vino et amore delectavero.

P: Decurso inspatio breve quod vitae relicuomst [2])
Voluptate, vino et amore delectavero.

quis umquam tam diversam eiusdem sententiae formam inter eiusdem scriptoris codices intercedere vidit? quam qui solitis depravationis viis natam esse credit, omnem profecto probabilitatem longe excedit. contra facillime res expeditur, si hic quoque diversam iam in antiquis fontibus, e quibus recensionum auctores hauserunt, memoriam fuisse statuimus. atque Ambrosiani memoria ad manum ipsius Plauti propius accedere videtur quam P, sed retractationis factae in eo quoque vestigium satis perspicuum superest. recte enim senserunt viri docti in A sententiam detrimentum quoddam etsi non grave tulisse et subvenire studuerunt coniectura ‚amore id delectavero', ab utraque recensione contra rationem discedentes; nam utut in superiore versu recensiones distant, alterum e communi archetypo religiose expresserunt; neque vocis *id* indiget recensio Palatina; sed hoc ipsum, quod *id* in neutra recensione extat, dilucide demonstrat in communi archetypo relativum *quod* in P adhuc traditum extitisse, in Ambrosiani autem archetypo eius loco vocem *iam* perperam subiectam esse; quem sententiae hiatum inde oriri nos sane animadvertimus, non item animadvertit qui versum finxit; eundem etiam alibi versum tetigisse ex insolito verbi *relícuom* accentu

---

[1]) Prorsus alio modo et hunc locum tractavit Niemeyerus p. 32 et *Merc.* 547 sq. p. 7 sq.

[2]) *reliquumst* BCD, pro quo forma quadrisyllaba restituenda est, si quidem versus formarunt, qui retractandis comoediis operam dederunt.

suspicatus sim. versum Palatinorum ex parte natum esse ex versus *Stich.* 81 ‚quid mihi opust decurso aetatis spatio cum meis Gerere bellum' recordatione, qualem histrioni non minus certe quam grammatico tribuere possumus, Niemeyero libenter concedo. qua in rerum condicione, cum nullo modo versum, qualem Plautus ipse scripsit, reciperare possimus, nihil restat nisi ut omnibus mutationibus abstinentes in textum quem vocant versum eius recensionis, in qua omnino crisin fabularum Plautinarum condendam esse intelleximus, Palatinam dico, recipiamus. atque cum in historia critica harum fabularum ea sit gravissima quaestio, utra recensione scriptores Romani singuli singulis locis usi sint, ne levissima quidem vestigia, quibus aliquid illustrari possit, contemnenda sunt. quocirca non omittendum esse arbitror Ciceronem, cum *de sen.* 72 ‚breve vitae reliquum' dicat, si omnino huius loci Plautini meminit, respexisse versum Palatinorum. ut enim eandem cum iis servavit collocationem verborum, ita si Ambrosiani versus recordatus esset, verbum *reliquum* non substantivi loco adhibuisset, sed *spatium* addidisset.

Non magis, quam his versibus quisquam nobis persuadebit grammaticis deberi has diversitates:

Trin. 1069

A: Hem, quis est qui mentionem homo hominis fecit optumi?

P: Hem, quis est qui mentionem facit homo hominis optumi?

ubi discrepantia temporum coniuncta cum diversa verborum collocatione corrigendi consilium arguunt; utrius vero recensionis memoriam praeferam dubius haereo; cf. *Curc.* 229 ‚Quis hic est qui loquitur? ‖ quoiam vocem ego audio?' 304 ‚heus, Curculio, te volo. ‖ Quis vocat, quis nominat me?'. vide etiam *Epid.* 201. *Most.* 784. *Capt.* 834. contra *Mil. glor.* 1012 ‚quem ego hic audivi?' *Stich.* 372 ‚Interibi Epignomum conspicio . . . ‖ Hem, quid? Epignomum elocutu's?'

Stich. 640

A: Neque ego hoc committam, ut me esse omnes mortuum dicant fame

P: Neque ego hoc committam, ut homines mortuum me dicant fame.

de Palatinorum, qui versum turbatum exhibent, genuina scriptura difficile est iudicare; quam etsi facillime sic restituere vide-

mur: ,ut homines me mortuom dicant fame', tamen nostro iure vocem *me* etiam in Palatinorum recensione in eundem locum restituemus, quem in A bene servavit, ut ad hunc potius versum Palatini redeant:

Neque ego hoc committam, ut med homines mortuom dicant fame'

prorsus paris cum Ambrosiani versu pretii; nam infinitivi *esse* ellipsin defendunt *Most.* 443 ,qui te nuntiaret mortuom.' *Truc.* 742 ,mortuom hercle me mavelim' 926 ,Mortuom hercle me adeo satiust.' *Bacch.* 506 ,Ego faxo hau dicet nactam, quem deluserit.'

Summi momenti ad nostram quaestionem est

Pseud. 669

A: Namque ipsa Opportunitas non potuit mihi opportunius Advenire

P: Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportunius Advenire.

praepropere Palatinos damnavit Niemeyerus p. 16, cuius haec est disputatio: ,videtur *nam* scriptum esse, ne transposito pronomine *mihi* metrum violaretur. non enim licet a P proficisci, quia „nam ipsa | Opportunitas" offensioni fuisse aegre credimus.' quid vero mirum, si in hiatu pinguissimo Ambrosianae recensionis auctor haeserit? pari autem iure contendere possumus aut *namque* pro *nam* aut invicem *nam* pro *namque* scriptum in causa fuisse, qua *mihi* loco genuino moveretur. sed mihi omnino non grammatica sed scaenica retractatio statuenda esse videtur, qua facillime scripturae diversitas explicatur. ceterum in utraque recensione *mi* pro *mihi* reponendum esse consentaneum est.

Venimus ad quosdam locos, quibus in codicibus diversae sententiarum structurae exhibentur, eos quoque a grammaticorum corrigendi consuetudine longe alienos.

Truc. 390

A: Verum adsimulasse me esse praegnatem haud nego

P: Verum adsimulavi me esse praegnatem: haud nego.

histrionibus haud cunctanter diversas versus formas tribuo, quarum neutra per se alteri cedit; nam quasi suapte sponte inter pronuntiandum altera ex altera nasci potuit. cum Palatinorum forma cf. *Merc.* 982 ,Fateor: deliqui profecto'.

Trin. 60

A: Namque enim te credo me imprudentem obrepseris

P: Namque enim tu credo mihi inprudenti obrepseris.

Ritschelius *Prol.* p. LXXXIII (*Op.*V p. 339) Ambrosiani memoriam praetulit; sed per totam latinitatem *obrepere* cum dativo iunctum est, velut Hor. *a. p.* v. 360 ‚operi longo fas est obrepere somnum'. unicus *Poenuli* prologus cum v. 14 *obrepere te* ostendat, simul unde in Ambrosianum illa structura pervenerit monstrat. ipse enim hic prologus non a Plauto profectus, sed ad iteratas fabulae actiones factus est ab histrionibus, qui in eum e vulgari sermone quae nec Plauto digna nec omnino latina sunt identidem intulerunt; eorum operae cum versu 14 ‚tacitum te obrepet fames' debeatur *obrepere* cum accusativo iunctum, nonne altero quoque loco, quo solo praeterea invenitur, ex histricis exemplaribus hanc constructionem repetemus, cum altera recensio usui linguae latinae satisfaciat? versui autem *Trin.* 974 ‚Nimis argute — obrepsisti in eapse occasiuncula', quem Ritschelius inserto *me* hiatu liberavit, aliter succurrendum esse viri docti dudum viderunt.

Merc. 521

A: Bonae hercle te frugi arbitror

P: Bonam hercle te et frugi arbitror,

ubi Palatinorum scriptura histrionibus debetur.

Mil. glor. 745

A: Serviendae servituti ego servos instruxi mihi,
Hospes, non qui mi imperarent, quibusve ego essem obnoxius.

quod P praebent *Servienti* (*Servientis* D) *servitute* redit ad

Servientis servitutem ego servos instruxi mihi.

Ambrosiani scripturam genuinam fuisse quae sequuntur sententiae finales optime participio futuri passivi respondentes demonstrant. Palatinorum scripturam si ad grammaticos refers quamnam dices mutandi causam fuisse?

Mil. glor. 567 A: Dato excruciandum me

P: Dato excruciatum me,

utrumque Plautinum; cf. *Poen.* 1302 ‚Iam hercle ego illunc excruciandum totum carnufici dabo' AP; *Aul.* 250 ‚Si hercle ego te non elinguandam dedero'; *Epid.* 121 ‚Quem quidem ego hominem inrigatum plagis pistori dabo'; *Capt.* 658 ‚Num ligatum (lignatum *codd.*) mittimur?'

Sat multis locis histriones, ut hodie quoque facere solent, sua inventa summa cum licentia verbis poetae subiecerunt; quod saepe tam scite factum esse videbis, ut quamvis inter se diversae sint versuum formae nullo indicio illorum tentamina possint dis-

cerni ab ipsius poetae scriptura; in cuius generis locis qui grammaticorum manum atque operam cognoscere sibi videtur contra probabilitatem atque adeo contra rationem pugnat.

Pers. 597

A: Ne temere hanc te emisse dicas me impulsore aut inlice

P: Ne temere hanc te emisse dicas suasu atque impulsu meo.

ecquis sit qui utra scriptura a Plauto profecta sit se cognoscere posse confirmet? cf. Niemeyerus p. 1, qui in comparationem vocavit *Most.* 916 ‚Me suasore atque impulsore id factum audacter dicito'; *Asin.* 221. *Bacch.* 55. *Poen.* 745, quibus *inlex* et *inlectus* invenitur. quibus non omiserim addere *Aul.* 737 et 795, ubi de eadem re dicitur: ‚Deus impulsor mihi fuit' et ‚Ego me iniuriam fecisse filiae fateor . . inpulsu adulescentiae'.

Poen. 1330—1332

A: Credo. ‖ et ego credo. sed eccum lenonem optume
Credo. ‖ at ego credo. ‖ edepol hic venit commodus
Bonum virum eccum video redeuntem domum.

P: Credo. ‖ et ego credo. sed eccum lenonem Lycum
Bonum virum eccum video: se recipit domum.

versus 1330 in A duplicem habemus formam, quarum alteram (1331) ex dittographia repetivit Ussingius, id quod sic accuratius equidem definiverim, ut ex exemplari histrico eam in Ambrosianae recensionis archetypum transcriptam esse dicam. quod ad ceteras diversitates attinet, quis grammaticos in talia incidisse credat, in quibus mutandi causa nulla conspicitur? ad ‚se recipit domum' cf. *Amph.* 663 ‚Ecastor med haud invita se domum recipit suam'. *Pseud.* 789 ‚Erus eccum recipit se domum et ducit coquom'.

Merc. 251

A: Ego enim lugere atque abductam illam aegre pati

P: Ego enim lugere atque illam abductam conqueri.

Niemeyerus quoque p. 40 rem in dubio relinquit.

Merc. 319

P: Humanum amarest, humanum autem ignoscerest.

ex Ambrosiani apicibus (cf. Goetzii adn. ad v.) Gertzius enucleavit

Humanum amarest atque id vei obtingit deum.

egregia est utraque sententia et egregie quadrat ad loci sententiam. respiciunt enim Palatinorum verba versum 317 ‚nihil est iam, quod tu mihi succenseas' et 321 ‚ne sis me obiurga', Ambrosiani autem verba versus 321 finem ‚hoc non voluntas me impulit'. a praestanti poeta utrumque vides profectum esse.

Pseud. 375

A: Si id non adfert, posse opinor facere me officium meum

P: Si is non aderit, posse opinor facere officium [me] meum.

me cum in P desit, ante *meum* olim locum habuisse verisimillimum est. initio versus scripturae Palatinorum per se plus fidei inest, cum Ambrosiani verba v. 373 ‚Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas' imitentur; hanc autem formam effinxit histrio, ut concinnior prioris sententiae condicionalis (v. 373) repetitio evaderet. liberior quam P efficiunt periodi structura Plauti esse videtur, quem videlicet data opera variare tales sententias et in novas formas redigere solitum esse monuerim; conferantur e. g. *Asin.* 242 ‚Si adfers, tum patent (ianuae lenoniae); si non est, quod des, aedes non patent'; *Mil. glor.* 936 sqq. *Cas.* I 1, 18—21. V 4, 22 sqq.

Stich. 166

A: Sed matrem parere nequeo nec quid agam scio

P: Sed matrem parere nequeo nescio quo modo.

in P pinguissima interpolatio est; similis est quae in utriusque recensionis archetypum communem invasit *Pseud.* 398 ‚Quoi neque paratast gutta certi consili Neque adeo argenti n e q u e n u n c q u i d f a c i a m s c i o.'

Histrionibus aptius quam grammaticis etiam retractationem versuum *Pseud.* 840—844 tribuemus. ibi coquus narrat:

A: 840 Ubi omnis patinae fervont, omnis aperio:
841 Is odos dimissis manibus in caelum volat,
844 Eum odorem cenat Iupiter cottidie.
842 BA. Odos dimissis manibus? CO. peccavi insciens.
843 BA. Quidum? CO. dimissis pedibus volui dicere.

P: 840 Ubi omnis patinae fervent, omnis aperio:
841 Is odos dimissis pedibus in caelum volat.
844 Eum odorem cenat Iupiter cottidie.
842 BA. Odos dimissis pedibus? CO. peccavi insciens.
843 BA. Quidum? CO. dimissis manibus volui dicere.

de quibus male iudicavit Niemeyerus p. 28, rectius Ussingius (vide ad v. 845), nisi quod rem non plane absolvit; cuius verba sunt: ‚d i m i s s i s m a n i b u s ex A Ritschelius, i. e. maximo cursu, v. ad *Epid.* [452].[1]) si haec scriptura vera est, vv. 847—848

[1]) ed. Plaut. III 2 p. 276: ‚significatur [voce *dimissis manibus*] ὁ παρασείων,

(supra v. 842. 843) spurii habendi sunt, nam et pravo loco leguntur (Acidalius post 745 posuit [cuius transpositio supra numeris Ritschelianis indicata est]) et prorsus inepti sunt; nam „dimissis manibus" vulgo dicebant, „dimissis pedibus", quod corrigendi causa [secundum A] affertur, nihil est. sin hi duo versus tenendi sunt, necessario amplectenda est et transpositio Acidalii et Palatinorum codicum scriptura, ut coquus prius „dimissis pedibus", deinde se corrigens „manibus" dixerit'. rectissime haec Ussingius; et sunt vv. 842. 843 tenendi propterea, quod *eum odorem* subsequens verba *is odos* inelegantissime dictum esset, contra aptum atque adeo necessarium est, si duo versus intercedant. itaque Ambrosianus retractationem expertus est.

Pseud. 723 (cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 169)

A: Egone? || tu istic ipsus, inquam, si quidem hoc vivet caput
P: Egone? || tute. || ego[n]? ipsus inquam e. q. s.

si in utraque recensione extaret ,tu istic ipsus, inquam' quis dubitare auderet? at quoniam in altera recensione aliud quiddam est, res arbitrii nostri est. ac triplicem personarum mutationem e grammatici ingenio profectam esse nemo facile contendat, cum a grammaticorum ratione corrigendi tale quid alienissimum sit. eadem autem quam apte ad exemplar histricum referri possit nemo non videt. sed fortasse ab ipso Plauto profecta est. optime enim oratio sic procedit, ut interroganti Calidoro *egone?* Pseudulus nihil nisi *tute* respondeat, cum vero ille incredulus iterum instet, iracundus iam ac vehemens fortiore affirmatione utatur *ipsus inquam.* quod minus bene se habet in A, ubi interrogationi *egone?* sine causa vehementissime respondetur *tu istic ipsus inquam. tu istic* autem non tam singulare est, ut non potuerit cuidam sermonis comici perito in mentem venire. Ussingius enim ad *Amph.* 362 citat *Amph.* 366 G.-L. 575 (*tu istic*) 747 (*tute istic*) *Men.* 651. 653 *tu istic inquam,* 937 *tu, tu istic, Merc.* 759 *tu istic ipsus.* sed utra scriptura Plautina sit, hic non tanti est momenti quanti ut diversitatem ex scaenica recensione repetendam esse statuatur.

Casui fortasse non consilio tribuendum est quod *Pseud.* 1010, quem versum Ussingium secutus (cf. adn. ad v.) sic lego:

---

v. Arist. *probl.* 5, 8. Theophr. *char.* 3 extr., i. e. qui manus in diversam partem movet, ut altera ante corpus porrigatur, altera post, ut fit in contentione cursus. in vasculis antiquis saepe sic currentes conspiciuntur'.

Tun es is Harpax? ‖ ego sum. ‖ atque ipse harpax quidem, in A *ipse* omissum est:

Tun es is Harpax? ‖ ego sum. ‖ atq[ue har]pax quidem.

Merc. 464

A: Tu prohibes. ‖ at te excusato: te fecisse sedulo.

P: Tu prohibes. ‖ at me incusato: te fecisse sedulo.

cf. Niemeyerus p. 28; in patris accusatione contineri filii excusationem cum cognovisset histrio, eum in modum verba mutavit; quod numquam fecisset grammaticus.

In fabularum actionibus creberrime fit, ut histriones verbis poetae singulis de suo arbitrio alia synonyma substituant; unde expediendum est quod in recensionibus hoc genere discrepantiarum nullum frequentius invenitur.

Atque primo loco ponam versum, cuius diversa memoria nullo pacto ad grammaticos referri potest.

Epid. 733, de quo cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 149.

A: Plaudite et valete: lumbos purgite atque exsurgite

P: Plaudite [et] valete: lumbos surgite atque extollite.

tam scite versus transformatio suscepta est, ut utrum pro Plautino habeamus haesitemus. nam etsi Ambrosiani versui grave subsidium paratum esse videtur v. *Pseud.* prol. 1

Exporgi meliust lumbos atque exsurgíer,

minime inde concludendum est verba *exporgere* (*porgere*) et *exsurgere* stare quasi sollemnia, ut non potuerit poeta alia adhibere. et est Palatinorum versus insignis verbo extollendi hic tantum hoc sensu adhibito, sed e sermonis comici consuetudine minime excidente; ut enim comici de artubus corporis praeter verbum porrigendi (membra, bracchia, iugulum, cf. Hor. *sat.* I 3, 89) etiam *exporrigere* dicunt (cf. Plaut. *Pseud.* v. supra allatus, Ter. *Ad.* 839 ‚exporge frontem'), ita, cum *tollere* dicatur e. g. *Truc.* 526 ‚nequeo caput tollere', nihil est cur in *extollere* offendamus. immo potuerit quispiam dicere Epidici versum in A secundum Pseuduli similem locum mutatum esse. sed cum haec in ambiguo relinquam, de scaenica discrepantiae origine nemo opinor dubitabit.

Pseud. 975

A: Legirupum, impurum, peiiurum atque impium

P: Legirupam, impium, peiurum atque improbum.

legirupam, quod P exhibent, in A terminationibus verborum insequentium adaptatum abiit in *legirupum.* in reliquis autem Ambrosianus manum poetae servasse videtur; quod ut cognoscatur,

diiudicandum est utrum altera versus sede *impurum* an *impium* recipiendum sit; nam quae in fine versus differentia accedit ex priore nata est. ac si *impium* et *improbum* genuinum esse, Ambrosianum autem prioris verbi vice *impurum* falso exhibere ponimus, non cernitur cur *improbum* quoque mutatum sit; sin vero *impurum* | *impium* Plautus scripsit, priore autem loco *impium* irrepsit, in fine versus pro *impium* aliud substitui necesse erat. P igitur versum retractatum memoriae tradiderunt.

Most. 687

Ag: Simo progreditur laetus

P: Simo progreditur ipsus.

in A si re vera extat quod Geppertus *stud.* II p. 78 legere sibi visus est *laetus*, deprehendimus histrionem, qui in aspectu Simonis re vera hilari vultu progredientis verba sic mutavit, memor fortasse versuum velut *Mil. glor.* 1199 ‚hilarus exit'; *Truc.* 321 ‚tristis exit'; *Bacch.* 611 ‚Mnesilochus eccum maestus progreditur foras'.

Pseud. 385

A: Ad eam rem usus est hominem astutum, doctum, cauto et callido

P: Ad eam rem usus est hominem astutum, doctum, scitum et callidum.

scitum in P ex retractatione scaenica; grammatici autem cuiusdam correctionem incohatam sed non perfectam A ostendit; nam quod in eo legitur *cauto* et *callido*, id indicat grammaticum vulgarem structuram ‚usus est homine' inferre voluisse pro prisca ‚usus est hominem', ad quam cf. *Truc.* 902 ‚puero opus est cibum', ubi perperam Spengelium scripsisse *cibo*, i. e. idem fecisse, quod in Pseuduli versu corrector incohavit, Reifferscheidius mihi in scholis persuasit (cf. eius *Quaestiones syntacticae*, Ind. lect. Vratisl. 1885 p. 8.)

Mil. glor. 474

A: quin soror Istaec sit gemina huius

P: quin soror Ista sit germana huius.

Palatinorum diversitatem fortasse librariis deberi non negaverim.

Trin. 214

A: Bonis qui hunc adulescentem evortisset omnibus

P: Bonis qui hunc adulescentem evortisset suis.

omnibus, quod iam Ritschelius *Prol.* p. LX (*Opusc.* V p. 319)

reiecerat, post Bergkium Niemeyerus p. 24 defendit Palatinorum versum e correctione natum esse arbitratus, sed is „plane omittens quaerere *omnibus* pro *suis* num sententiae huius loci accommodatum sit“ (Schoellius ed. *Trin.*[3] adn. crit.). neque enim Callicles omnibus bonis iuvenem evertit, cum nihil nisi eius domum data pecunia emerit.

Pers. 515. 516 pro ‚Fortuna lucrifica‘, quod P praebent, A Gepperto (*stud.* II p. 82) auctore ‚Fortuna lucrifera‘ habet, quod sane ego quoque praefero, cum lucrum faciant homines, lucrum ferat Fortuna; eodem modo distinguuntur *luctificus* et *luctifer:* Sen. *Herc. fur.* 687 *bubo* nominatur *luctifer*, itemque *annus* Val. Flacc. *Arg.* 3, 454; contra *luctifica clades* Cic. *Tusc.* II 10, 25, *luctifica verba* Sen. *Phoen.* 132. *paciferi* nominantur dei deaeque, *pacifici* dicuntur Numa, mores, preces.

Poen. 342

P: Proba mers facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sitast.

‚in occulto‘ A, quod et scaenica et grammatica correctione natum esse pariter potest. nam ut facile fieri potuit ut histrio verbum usitatius rariori substitueret, ita verbum abstrudendi grammaticis ansam dedisse interpretandi docemur *Aul.* 617, ubi verbo *abstrusisse* in D manu secunda superscriptum est *condidisse*, *abscondisse.* minus apte Goetzius contulit Acc. *trag.* frg. 462.

Pseud. 659

A: apud anum illam doliarem

P: apud anum illam diobolare[m].

diobolarem rerum condicioni minime convenit — nam de muliere cauponia, non de meretrice sermo est — et videtur e versus *Poen.* 270 ‚scorta diobolaria‘ fallaci memoria natum esse, nisi fortasse docto scribae debetur.

Pseud. 901

A: Eum promisisse fortiter dixit sibi

P: Eum promisisse firmiter dixit sibi.

firmiter verbo promittendi longe convenientius, quam *fortiter.*

Epid. 5: Satis certe oculis uteris.

recte A, quod damnavit Langenus *Beitraege* p. 24. eadem discrepantia in codicibus Horatianis invenitur *Epist.* II 1, 105 ‚Cautos nominibus rectis expendere nummos‘, ubi nonnulli libri alteram lectionem *certis* praebent.

Most. 679 A: evocadum aliquem ocius.

P: evocadum aliquem foras.

Ambrosianum sequendum esse manifestum est. idem valet de *Pseud.* 321

A: sex dies aliquos modo
P: sex dies saltem modo.

Stich. 375. 376

A: Argentique aurique advexit nimium. ‖ nimis factum bene.
‖ Lanam purpuramque multam. ‖ est qui ventrem vestiam.
P: Argentique aurique advexit multum. ‖ nimis factum bene.
‖ Lanam purpuramque multam. ‖ hem, qui ventrem vestiam.

in priore versu *multum* in P ex sequentis versus similitudine originem duxit. in altero versu quam A praebet elocutionem ‚est qui vestiam' modestam, a parasiti aviditate atque impudentia aliena est. quam ab histrione non a grammatico inventam esse affirmaverim.

E scaenica non minus quam e grammatica retractatione natae esse possunt hae diversitates:

Pseud. 414 A: nunc huc concedam, unde horum sermonem legam
P: nunc huc concedam, ut horum sermonem legam.

cf. p. 94 et *Epid.* 103 ‚Huc concedam, orationem unde horum placide persequar'.

Bacch. 529

A: ibo ut visam huc ad eum, si fortest domi.

P: ‚ibo et visam'; cf. *Amph.* 1075[a] ‚ibo et cognoscam, quisquis est' P, *ibo ut cognoscam* Acidalius probantibus Goetzio Loewioque; *Men.* 557 ‚Ibo et conveniam servom' P Ritschelius Vahlenus, *ibo ut conveniam* Abraham l. c. p. 208 collatis *Capt.* 919. *Bacch.* 348.

Poen. 466

A: Quid ei divini atq. humani aequomst credere?
P: Quid ei divini aut humani aequomst credere?

Mil. glor. 1133

Nunc ad me veniat usust Acroteleutium
A: Ancillula eius ac Pleusicles.

eius aut Pleusicles P perverse.

Truc. 267

A: nisi abis actutum aut dicis quem quaeras cito
P: nisi abis actutum ac dicis quid quaeras cito.

tribus igitur locis coniunctiones nullo pacto aptae in P illatae sunt non a grammaticis, quibus prorsus nulla mutandi in peius causa erat, sed ex exemplaribus histrionum, quibus talia facile exciderunt.

Truc. 261 (cf. supra p. 47) A: Sed volo scire
P: At volo scire.

Bacch. 528 A: Nunc illud animus meus miratur
P: Nam illud animus meus miratur.

falsam Ambrosiani scripturam non negaverim librarii errore fortasse natam esse; cf. *Stich.* 163 ‚[At] ego non pausillulam in utero gesto famem' P recte, ‚Ego nunc' A; *Mil. glor.* 554 ‚quid ni fateare, ego quod viderim?' P, ‚quid nunc' A.

In praepositionum usu discrepant recensiones

Truc. 381 A: Cum inter nos sordebamus alter de altero
P: Cum inter nos sorderemus alter alteri.

cf. supra p. 90. Palatinorum scriptura recipienda est propter v. 379 ‚Num tibi sordere videor? ‖ non pol mihi quidem.'

Pers. 487
A: I ad forum, e praetore exquire, si quidem mihi credere non vis
P: I ad forum ad praetorem, exquire e. q. s.

quamquam omnes editores Ambrosiani scripturam praetulerunt, tamen uter versus a Plauto profectus sit incertissimum est; nam pro P facit quod apud Plautum elocutiones ‚ad praetorem ire, rapere, trahere' adeo sollemnes sunt, ut nullam exceptionem admittere videantur; cf. *Capt.* 505. *Aul.* 317. *Merc.* 664. *Pseud.* 358. a qua elocutione Plautum ne tum quidem discessisse puto, cum altera appositio, velut hic *ad forum*, accedit. minime enim talem dictionem ab arte Plautina abhorrere tria exempla aptissima demonstrant: *Curc.* 721 ‚Quo sequar te? ‖ ad tarpezitam meum ad praetorem'. *Asin.* 367 ‚abi ad forum ad erum et narra', quamquam licebat ‚abi ad forum et ero narra' (cf. *Amph.* 460. *Truc.* 313). *Trin.* 579 ‚abi huc ad meam sororem ad Calliclem'.

Epid. 151 ‚Quid illa fiet' A, Nonius; ‚quid de illa fiet' P.

Epid. 621
A: Hic est danista, haec illast autem, quam ego emi de praeda. ‖ haecinest?
P: Hic est danista, haec illast autem, quam emi ex praeda. ‖ haecinest?

metrum in utraque recensione turbatum est; cum vero Plautus *de praeda* semper dicat, de quo cf. Studemundus *ann. phil.* CXIII p. 67 sq. Abraham *ib. suppl.* XIV p. 201, recte hic versum restaurasse videtur hac scriptura ‚quam emi de praeda'. *Epid.* 108, ubi AP ‚in praeda es mercatus' habent, Studemundus *l. c.* correxit ‚de praeda es mercatus'.

Truc. 281 ‚Sed quid apud nostras negoti, mulier, est aedis tibi?' P, *ad nostras* A perperam; cf. *Most.* 844, ubi ‚Nam egomet ductarem, nisi mi esset apud forum negotium' A teste Studemundo apud Abrahamum l. c. p. 207, *ad forum* P contra usum Plautinum praebent. praeterea nonnullis locis, quibus A aetatem non tulit, ‚ad forum' in P pro ‚apud forum' legitur: *Pseud.* 1236. *Most.* 999. *Mil. glor.* 930, de quibus vide Abrahamum.

Truc. 304 Priscianus V p. 189 bene sic tradidit: ‚qua is hoc ad vos damni permensust viam'. ‚qua is apud vos' A false, ‚qua isti vos' P errore librarii.

Trin. 1067 ‚illam alteram [partem] apud me, quod bonist, adponito' A recte; ‚ad me' P.

Men. 587

A: Aut ad populum aut in iure aut [apud] aedilem res est
P: Aut ad populum aut in iure aut ad iudicem res est.

apud in A fuisse ex spatio quattuor litterarum colligendum est; sed *ad* praepositionis usus apud personas Plautinus est; cf. *Poen.* 726 ‚Em istaec volo ergo vos commeminisse omnia Mox ad praetorem'; Brixius ad *Capt.* 49. *aedilem* ex interpolatione natum est; cf. Brixius ad v. Bergkius *Opusc.* I p. 172. Palatinorum versus est tetrameter bacchiacus, modo legas *rest.* Ambrosiani versum Spengelius anapaesticum trimetrum habet (*Reformvorschl.* p. 266).

Iam ad substantiva pervenimus.

Poen. 375

P: Sine te exorem, sine prehendam auriculis, sine dem savium
A: Sine te exorem, sine prehendam – auris, sine dem savium.

errorem nisi qui nimio excusandi ducitur studio nemo statuet. comprobatur autem hoc exemplo, quod iam identidem statuimus, neque histrionem neque auctorem recensionis Ambrosianae hiatum in diaeresi septenarii trochaici vitavisse. ceterum cf. *Asin.* 668 ‚prehende auriculis'.

Cas. V 4, 5

A: Quid agis dismarite?

P: Quid agis tu marite?

Trin. 309

P: Si[n] ipse animum pepulit, vivit, victor victorum cluet

A: Si[n] ipse animum pepulit, vivit, victor virtutum cluet.

virtutum, etsi errore librarii scriptum esse potest, tamen histrionem novandi cupidum olere mihi videtur.

Minoris momenti sunt

Pseud. 893 P: Nam hic quoque scelestus est coqui sublincio. *sublingio* Turnebus; de A cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 170: ‚palimpsestus ad praeclaram redit hanc scripturam: *est quoqui sublingulo. sublingulo* autem a *sublingulus* sicut *subregulo* a *subregulus. subregulo* autem habes in inedita libri glossarum glossa, velut in Ambrosiano B 36 inf. sic tradita: . . Tetrarcha: subregulo‘. sed *sublincio* fortasse mero errore a librario verbi *sublingulo* ignaro scriptum est.

Stich. 306

A: Simulque ad cursuram meditabor [me] ad ludos Olympios. *me* AP, delevit Ritschelius; *Olympiae* P, in quod numquam incidisset grammaticus; cf. *Cas.* IV 1, 1 ‚nec pol ego Nemeae credo neque ego Olympiae Neque usquam ludos tam festivos fieri, Quam hic intus fiunt‘, cuius loci fortasse memor fuit histrio.

Pseud. 157 A: face plenum ahenum sit coco

P: face plenum ahenum sit cito.

ne hoc quidem grammaticum, nisi forte errorem statuis, scripsisse verisimile. eodem versu altera discrepantia inter A et P extat:

P: Tu qui urnam habes, aquam ingere

cf. 369 ‚In pertussum ingerimus dicta dolium‘; A teste Loewio l. c. p. 164 *egere* praebet ‚scilicet e puteo: *hole Wasser*‘, quod nequaquam ego quidem praetulerim. versu 369 comprobatur, quod e coniectura versu *Pseud.* 102 Salmasius scripsit, ‚quam si imbrem in cribrum ingeras‘ pro Palatinorum *geras.* quod in A est ‚in crebrum legas‘, non cum Loewio l. c. p. 156 pro corruptela, sed pro varia lectione habuerim, cum ‚imbrem in cribrum legere (*aufsammeln*)‘ prorsus apte dicatur.

Iam ad verba pergimus.

Poen. 1344 P: Quia [enim] hasce aio liberas Ingenuasque esse. ‚hasce mo liberas‘ B, ‚hasce modo liberas‘ CD, quod redire ad *hasce aio liberas* iam Camerarius cognovit. ‚qu[ia] has dico l—‘ A;

Studemundus *ann. phil.* CXIII p. 66. ut Niemeyero p. 48 concedamus *dico* potuisse ex glossa interlineari in versum venire (cf. Placidus p. 4, 11: ,aiens: dicens; ita aio ais ait participium facit'), id ipsum, quod simul metro accomodatum *has* pro *hasce* legitur, hoc loco consilium corrigendi arguit. et per histrionem mutationem factam esse certe non minus verisimile est, quam per grammaticum. comparandi sunt *Men.* 1046, ubi *aiebant* pro *dicebant*, quod in P est, Camerarius recte coniecisse videtur, et *Capt.* 694, ubi *aiant* Fleckeisenus, *dicant* codd.

Truc. 385

A: Quomque bene provenisti salva, gratulor

P: Quomque bene provenisti salva, gaudeo.

gratulor ex v. 507 recordatione natum esse Schoellius adnotavit (cf. etiam *Anal. Plaut.* p. 8).

Trin. 1064

P: Si bonus es, obnoxius sum: sin secus es, faciam uti iubes.

bonus es et *secus es* servanda esse insequentis versus cum hoc conexu demonstratur; in versus fine *uti* pro *ut* errore, qualem saepius invenimus (cf. Muellerus *Pros. Plaut.* p. 223. *Add.* p. 28), in P scriptum est. pro *ut iubes* A ex diversa recensione *ut mones* praebet e versu 1063 depromptum.

Locum fere gemellum habes *Most.* 929

A: Nunc abi rus: dic me advenisse filio. || faciam u[t i]ub[e]s.

,faciam ut voles' P. de quo Studemundus *Festgruss* p. 69: ,Schon Lorenz bemerkte sehr gut, dass *voles* sehr auffallend für *vis* steht. A giebt statt *ut voles u . . ub . s*, d. h. ganz unzweifelhaft richtig *ut iubes*'. si vero nobis contingat ut formulam *ut voles* a Plautina consuetudine non abhorrere demonstremus, manifestum erit histrionem formulae sane rarae substituisse vulgarissimam *faciam ut iubes*, quam habes e. g. *Cas.* II 6, 67. V 4, 25. *Bacch.* 228. *Asin.* 369. est autem *faciam ut voles* a Plauto non alienum; quod demonstratur non tam versu *Persae* 609 in solo A servato

Ehodum huc virgo: videsis, quid agas! || taceas, curabo, ut voles

— qui versus in P non extans fortasse ex alia recensione scaenica in archetypum Ambrosiani illatus est —, sed *Men.* 1152

Quoniam haec evenerunt nobis frater ex sententia

In patriam redeamus ambo. || frater, faciam ut tu voles,

quod nullo modo differt a *faciam ut vis*; cui accedit exemplum aptissimum *Men.* 207

Scin quid volo ego te accurare? || scio, curabo quae voles,

si recte Wagnerus *scio* defendit versibus 185 sqq. arcessitis; *cedo* Brixius. denique non omiserim adnotare Plautum non semel metro cogente verbi *velle* futurum tempus pro praesenti posuisse; cf. *Most.* 790 ‚Heus tu si voles hoc verbum cogitare' (= *si vis*). *Poen.* 210 ‚Negoti sibi q u i v o l e t vim parare, Navem et mulierem haec sibi duo comparato, (*qui volet* = *qui vult*). *Most.* 1121 ‚illo praesente mecum agito, si quid voles', quamquam *agi* cum servo iam coeptum est. Palatinorum igitur scripturam *Most.* 929 retineo.

Bacch. 506

A: Ego faxo hau dicet nactam quem deluserit

P: Ego faxo hau dicet nactam quem derideat.

Ritschelius: ‚fortasse e. v. 864 „Faxo se haud dicat nactam quem derideat".' huius autem versus nec potuit in mentem venire scribae nec tam verisimile est recordatum esse grammaticum quam histrionem.

Bacch. 948 ‚is Helenam avexit' A; cf. Geppertus *stud.* II p. 35; *abduxit* P; cf. *Pseud.* 1094 ‚is secum abduxit mulierem'. 1155. 1233 al. avehendi verbum habes *Men.* 27. 33. 1115. *Mil. glor.* 114. incerta est scriptura Ambrosiani *Pers.* 522 ‚mulierem ab . . . ctam ex Arabia' A; *adductam* CD, Prisc. *aduectam* B, in quo *avectam* latere Ritschelius vidit.

Pseud. 642

P: Reddere hoc non perdere erus me misit

A: Reddere hoc non perdere erus me iussit.

cf. Studemundus (*stud.* I p. 278 not. 2), qui dicit *iussit*, quod ex incertis Ambrosiani reliquiis indagaverit, ex alia recensione profectum sibi videri.

Pseud. 43

A: Salutem inpertit et salutem ex te expetit

P: Salutem mittit et salutem abs te expetit.

utraque discrepantia ad diversa exemplaria histrica referenda videtur. *inpertit* Plauto, *mittit* histrioni debetur. de altera discrepantia Studemundus *de Vidul. Plaut.* Gryphisw. 1870 p. 15 adn. 16 adnotat: ‚ceterum displicet *ex* praepositio cum *expetere* verbo coniuncta, cum alibi et hoc verbum et *expetessere* cum *a* praepositione Plautus coniunxerit; cf. *Rud.* 258. 1393. *Epid.* 255. *Most.* 155.

Bacch. 519 [1]); cf. Studemundus *Ueb. zwei Parallel-Kom. d. Diphilus* p. 53.

A: Quam si ad sepulchrum mortuo narret (*sive* narres) logos

P: Quam si ad sepulcrum mortuo dicat iocum,

ubi P longe cedunt Ambrosiano.

Mil. glor. 266

A: Si invenio, qui d i x i t, ad eum vin e a m pluteosque agam

P: Si invenio, qui v i d i t, ad eum vin e a s pluteosque agam.

utrumque verbum aeque bene habere concedet qui antecedentes versus comparaverit. ad alteram discrepantiam quod attinet, vereor ne corruptelam Ambrosiani pro genuina scriptura editores habuerint; nam quae ratio subsit numeri mutationi ego quidem non intellego; similis est discrepantia *Stich.* 340

A: 340 At ego perii, cui m e d u l l a s lassitudo perbibit.
341 || Quid ego misero cui m e d u l l a s ventris percepit fames?

P: At ego perii, quoi m e d u l l a m lassitudo perbibit.
|| Quid ego cui misero m e d u l l a m ventris percepit fames?

ubi cum *medulla* proprio sensu adhibeatur, singularis recipiendus est. in A igitur correctorem deprehendimus.

Epid. 624

A: Est consimilis, quasi quom signum pictum pulcre adspexeris.

P: *videris.*

Trin. 335

A: Edepol hominem p r a e m a n d a t u m firme et familiariter

P: Edepol hominem p r a e d i c a t u m firme et familiariter.

praemandatum non abhorrere a Plautina consuetudine demonstravit Langenus p. 307, qui idem de verbo *praedicare* plene, sed non prorsus recte agens Palatinorum scripturam *praedicatum* non bene interpretatus est, cum dicat: ‚Unplautinisch dagegen ist praedicare in der transitiven Bedeutung von laudare *Trin.* 335 nach der palatinischen Recension.' at minime ea significatio verbo praedicandi hoc loco obtrudenda est, cum alia eaque usitata sententiae plane satisfaciat. sat saepe enim *praedicare*, si in ante-

---

[1]) p. 68 sq. nunc video nescio quo casu relicta esse quae olim de scriptura Ambrosiana Ritschelium secutus egeram, antequam Studemundi lectionem cognovi. illius igitur loci disputationem eiciat lector.

cedentibus hominum forma facies describuntur, virtutes vitia enumerantur, ita usurpatur, ut significationem verbi *describere* paene aequet. velut *Pseud.* 749, postquam inde a v. 729 Simmiae calliditas nequitiaque descripta est, Pseudulus sic iudicat: ‚Probus homost, ut praedicare te audio' ‚wie ich aus deiner Beschreibung höre'. *Rud.* 651 sqq. a lenonis cuiusdam scelerum peculiari enumeratione Trachalio se revocat his verbis: ‚ut uno verbo absolvam, lenost: quid illum porro praedicem?' ‚was soll ich ihn länger schildern?' *Mil. glor.* 968 ‚Ad tuam formam illa una dignast. ‖ hercle pulcram praedicas'; praeterea cf. *Mil. glor.* 471. *Most.* 981. *Aul.* 314. *Men.* 908 sq. *Epid.* 459 ‚quam dudum Epidicus Mihi praedicavit militem', ubi *praedicare* notione describendi accipiendum esse versu 300 demonstratur. neque aliter Trinummi loco postquam Lesbonici mores sortemque depinxit Lysiteles, Philto — ironice — evocat: ‚Edepol hominem praedicatum firme et familiariter'.

Most. 676

A: Ecce autem .... nunc quid dicam nescio.

Ritschelius ‚ecce autem perii'; P ‚ecce autem . iterum', in quo *interii* latere ante Ussingium iam cognoveram.

Poen. 1369

A: Malum post[rem]o omne ad lenonem reccidit

P: Malum postremo-omne ad lenonem redit.

cf. Studemundus *ann. phil.* XCIII p. 63. cum hiatum in senarii caesura ab iis, qui fabulas Plautinas retractarunt, comprobatum esse iam saepe viderimus, consilium corrigendi non negaverim; sed facile potuit *cci* inter *e -- di* excidere. et ne id quidem sumere non possumus, *redit* pro *reccidit* nulla metri ratione habita interpolatum esse eodem modo, quo *Trin.* 340

A: Nam et illud quod dat perdit et illi prodit vitam ad miseriam

in P loco verbi *prodit* interpolatum est *producit* idque sat antiquo tempore, cum sic iam Lactantius *instit.* VI 11, 8 legerit.

Pers. 269 A: pedicas inpingi (iusserit)

P: pedicas inponi.

memorabile quod eiusdem discrepantiae exemplum alterum extat *Trin.* 720 ‚Fulmentas iubeam suppingi soccis?' P, *subponi* Nonius, qui cum Ambrosiani scripturis longe plurimis locis congruit, ut idem in A fuisse conicias. in contrarium a doctis medii aevi grammaticis mutatum est *Mil. glor.* 928, ubi cum P (et Nonius)

exhibeant ‚Culpam omnem in med inponito', illi eruditionem iactantes *impingito* in codicem Lipsiensem et editionem principem intulerunt.

Mil. glor. 209

A: Ecce autem aedificat: columnam mento suffigit suo.

suffulsit P, quod ad *suffulcit* recte Niemeyerus p. 40 reduxit. atque *suffulcire* imagini ex architectura desumptae accommodatissimam esse vocem docet *Epid.* 83 sq.: ‚Tantae in te inpendent ruinae. nisi suffulcis firmiter Non potes subsistere: itaque in te inruont montes mali'. alteri autem scripturae favet quod Apuleius Plauti imitator *Met.* X 17 ‚cubito suffixo (mensam accumbere)' dicit.

Stich. 237

A: Adibo ad hominem. ‖ quis haec est, quae mihi advorsum venit?

P: Adibo ad hominem. ‖ quis haec est, quae advorsum it mihi?

Goetzius Fleckeisenum secutus Ambrosiani versum ita redintegravit: ‚Adibo ad hominem. ‖ quis haec est, quae advorsum venit?'; et sic voluisse auctorem recensionis Ambrosianae ego quoque credo. potuit autem fieri ut iam in archetypo utriusque recensionis communi *mihi* interpolatum fuerit, unde ansam corrigendi ceperit Palatinae recensionis auctor. sed fortasse Seyfferto *Philol.* XXIX p. 412 adsentiendum est, qui Palatinos pure probavit; *mihi* enim in A e librarii ingenio inferri potuit.

Merum librarii errorem subesse crediderim

Pseud. 593

A: Lubét scire, quíd hic venerít cum machaéra

P: Lubet scire, quid hic velit cum machaera.

nam etsi *velit* non minus aptum est quam *venerit* — cf. *Poen.* 992 ‚Adi atque appella, quid velit, quid venerit' — tamen quale metrum formaturus fuerit corrector intellegere non possum.

Verbis inter se mutatis subicio eas differentias, quibus altera recensio verbum simplex, altera compositum praebet vel quibus diversa eiusdem verbi simplicis composita in codicibus circumferuntur, quales differentias non ignarus sum a magistellis et librariis non paucis locis profectas et ad eos ubique a viris doctis relatas esse; sed earum numerus tam frequens est, ut recte Studemundus ex diversa recensione eas derivaverit, et earum condicio ex parte quidem tam mira, ut non possit explicari ex auctorum recensionis audacia, sed ad histricos fontes re-

ferenda sit. subiunxi autem ea quoque exempla, quae ad scaenicam recensionem non redeunt.

Ut ad singula transeamus Studemundus (*Mus. Rhen.* XXI p. 606 sq.) ad v. *Trin.* 448 haec adnotat: „Die P überliefern folgenden Vers: ‚Neque te derisum veni neque derideo'. Der A dagegen advenio. Man könnte geneigt sein, wenn nur dies eine Beispiel vorläge, veni als verderbt aus advenio anzusehen. Allein gerade die nämliche Variante kehrt so häufig wieder, dass eine solche Annahme als gradezu falsch bezeichnet werden kann. Es liegen auch hier zwei verschiedene Recensionen vor. Die Thätigkeit der beiden Recensenten, welche durch unsere beiden Handschriftenfamilien repräsentirt werden, tritt in diesem und analogen Fällen recht anschaulich entgegen; ein klares Bild kann aber nur eine zusammenhängende Darstellung des schwierigen Gegenstandes geben; in gewissen Formeln ist die Abweichung zwischen den beiden Fassungen fast stereotyp und pedantisch streng beobachtet, manchmal erscheint sie im Hinblick auf den modernen Fortschritt der Kritik sogar schrullenhaft.' in quam rem ut inquiramus, primum necessarium videtur praemonere Plautum *venire* pro *advenire* sine ullo notionis discrimine usurpasse; cf. *Mil. glor.* 806 ‚miles domum ubi advenerit Memineris, ne Philocomasium nomines'. 859 ‚Perii excruciabit me erus, domum si venerit'. *Most.* 376 ‚pater advenit. ‖ Tuus venit pater?'. distant autem recensiones his locis:

Trin. 448 A: Neque te derisum advenio neque derideo
P: Neque te derisum veni neque derideo.

ab utraque recensione recedit versus gemellus *Aul.* 223: ‚Neque edepol ego te derisum venio neque derideo'. similis est *Amph.* 587 ‚Nunc venis etiam ultro inrisum dominum'. vides in *Trin.* v. 448 iudicio prorsus abstinendum esse.

Pseud. 850 ‚facio ut opera appareat Mea quo conductus venio' A, *veni* P.

Epid. 456

A: Animum ádvorte, ut quod ego ad te advenio intellegas; *venio* P; contra

Trin. 67 ‚Nam ego dedita opera huc ad te venio' A; *advenio* P. cum priore loco conferas velim *Stich.* 127 ‚Sed hoc est, quod ad vos venio'; *Men.* 677 ‚Scin quid est, quod ego ad te venio?'

Curc. 457 ,quid hoc, quod ad te venio'; cum altero *Trin.* 97 ,Et si alia huc causa ad te adveni, aequom postulas'.

Pseud. 1283 Spengelius (*Reformvorschl.* p. 186) cum P per anapaestos versum sic dimetitur:

Nunc áb ero ad erum meum máiorem venió foedus commémoratum;

a quo A duplici modo dissentit; habet enim *comprobatum* et, quod tamen non prorsus certum est, *adveni.* itaque A non potest non redire ad versum trochaicum hunc: ,Núnc ab ero ad erum meúm maiorem advéni foedus cómprobatum'. prae quo Palatinorum versus insignis est verbo *commemoratum*, quod propria notione *ins Gedächtnis zurückrufen* aptissime dictum est, cum *comprobatum* e sententia quae postulatur excidat; deinde in *adveni* duplex est offensio: neque enim tempus perfectum ferri potest nec placet caesura legitima sublata praepositione *ad.* hoc igitur loco Ambrosianus dubium non est quin subditicia pro Plautinis venditet; sed vix poteris hoc loco uti ad manum poetae ceteris locis restituendam, nisi quod Palatinis in v. *Trin.* 448 paullulum subsidii oritur. sed ne quid desit, quod in his angustiis planum iudicium obscurare possit, accedit v. *Epid.* 620, ubi in lectione ,[Sed quis haec est muliercula et ille gravastellus] qui venit' AP, Festus; Pauli p. 273 concinunt, idem vero Festus Pauli p. 96 *qui advenit* exhibet.[1])

Itaque hac in re non probatur Studemundi iudicium de recensionum constantia, sed sane talem constantiam iure expectaremus, si ad auctores ipsos recensionum differentiae redirent; cum vero summa in utraque inconstantia observetur, nonne eae quoque differentiae ex histricis exemplaribus derivatae esse videntur?[2]) similia enim exempla, quibus post syllabam aut in vocalem

[1]) Dolendum est quod initium versus *Epid.* 571 in A legi nequit; P enim exhibent *venienti* cum metri lacuna; Camerarius *advenienti* coniecit, quod verum esse videtur. denique ne quid neglexisse videar, has affero diversitates scripturae: *Stich.* 237 *it* P, *venit* A, cf. pag. 153. *Pseud.* 737 *advenit* A, *adest* P ex recensione.

[2]) Ceterum non nescio etiam mero librariorum errore eandem diversitatem in codicibus apparere, sed vix sine perspicua causa. *Aul.* 752 ,tibi ultro supplicatum venio' BDEJ, *advenio* ed. princ. ex v. 739 ,oratum advenio'. de praesenti tempore non esse cum Goetzio dubitandum ex locis. quos collegi, intellegetur. *Amph.* 532 ,nam qua nocte ad me venisti' BDJ, advenisti E propter antecedens *ad me*, ut *Merc.* 259 ,ad navem advehor' P pro *devehor.* ceterum vides librarium errorem statim correxisse.

aut in *m* desinentem in altera recensione simplex verbum, in altera verbum cum *ad*, *ex*, *e*, *a* compositum invenitur, tam crebra sunt, ut de casu non liceat cogitare.

Pseud. 738 *hominem áddecet* A Non. Prisc.; *hominém decet* P. cf. Studemundus *Üb. zwei Parall.-Kom. d. Diph.* p. 57.

Pseud. 36 *ín cerá ádcubat* Al; *in cerá cubat* P.

Pers. 523 *té volo áccurare* P, *te voló curare* A.

Pseud. 561 *iam hic ero* Al; *iam hic adero* P; cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 168, Lorenzius *Philol.* XXXV p. 175 sq.

Pseud. 685 *Certa mittimus* P, *amittimus* edd.

Trin. 492 ‚quam quom extemplo emisimus' A, *amisimus* P.

Trin. 1053 ‚vel illum amicum amiseris' A, *miseris* P.

Mil. glor. 1413 *amittemus* Bothius cogente metro, *mittimus* P, *amittimus* Priscianus.

Pseud. 133 ‚exite agite exite' A, ‚exite agite ite' P; cf. Spengelius *Reformvorschl.* p. 167.

Trin. 1052 ‚exigere occupias' A, *cupias* P.

Stich. 310 ‚asto ét pultó' P recte; *repulto* A male.

Pseud. 702 ‚Quoia vox resonat? ‖ Io' A, *sonat* P. cf. Studemundus *Herm.* I p. 296.

Epid. 1 ‚Quis properantem me reprehendit pallio?' A; *prehendit* P.

Pers. 734 ‚bona multa effeci' A male; *feci* P; vide infra.

Pseud. 144 ‚ex pectore oculisque [ex]movetis' A, *amovetis* P; cf. Loewius *Anal. Plaut.* p. 162.

Trin. 361 ‚Ne opprobra pater' P, quod probarunt Bergkius, Schoellius, Loewius; *exprobra* A.

Epid. 604 ‚hanc adserva Circam' P, *observa* A male.

Pers. 511 ‚qui tibi tabellas adfert' P; *offert* A secundum Geppertum *stud.* II p. 83.

Merc. 259 ‚Inscendo in lembum' A, *escendi* B, *ascendi* CD.

Mil. glor. 1150 ‚ad summum descenderis' P pessime.

Poen. 494 ‚tuom iam dilidam caput' A, *elidam* P cum hiatu.

Pers. 347 ‚ad paupertatem si admigrant infamiae' AP, *immigrant* Nonius errore memoriae.

Mil. glor. 410 ‚fores crepuerunt' A, *concrepuerunt* P sine metro. item *Cas.* III 5, 21 *refer* P pessime, *confer* A.

Histrionibus haud cunctanter eas quoque mutationes tribuo, ubi pronomina personalia aliis verbis substituta sunt, quod genus correctionis sat saepe in P invenitur.

Poen. 1114

A: Formam quidem hercle verbis depinxti probe

P: Formam quidem hercle verbis depinxti mihi.

Stich. 94

A: Mane pulvinum. ‖ bene procuras mihi: sat sic fultumst: sede. P in fine versus ,fultumst mihi'.

Stich. 455

A: Me meum optenturum ridiculis logis.

P: *ridiculis meis.* item *ridicula* substantivi loco adhibitum est *Mil. glor.* arg. acrost. 9: ,Ridiculis autem, quasi sit alia, luditur'.

Trin. 260

A: Amor amari dat tamen, satis quod aegre sit

P: Amor amari dat tibi, satis quod aegre sit,

ubi Ritschelius et *tamen* et *tibi* eiciendum putat.

Cas. III 5, 12; cf. Beckerus in Studemundi *stud.* I p. 139.

A: Quid periisti? ‖ perii et tu peristi. ‖ peri. | quid ita?

P: Quid periisti? ‖ perii et tu periisti. ‖ aperi, quid tibist?

quid tibist ex antecedenti versu desumptum est. cum Ambrosiani scriptura cf. *Most.* 364 ,Ego et tu — ‖ quid ego et tu? ‖ periimus. ‖ quid ita?', cum Palatinorum versu *Most.* 1108 ,Perii. ‖ quid tibist?'

Pronomina inter se commutata sunt

Pers. 709

A: nam animus iam in navist mihi

P: nam animus iam in navist meus.

Niemeyerus p. 38 versu *Pseud.* 1052 ,mi animus in tuto locost' Ambrosiani memoriam satis vindicatam habet; cautos iudices litem dirimi non posse decet confiteri; cf. *Pseud.* 34 ,istic meus animus nunc est, non in pectore'. *Aul.* 181 ,animus domist', omissis vel *meus* vel *mihi*. *Mil. glor.* 1261 ,animus meus mihi defit'. *Bacch.* 713 ,apud test animus noster'.

Truc. 125

A: Tuis servio atque audiens sum inperiis.

,Tibi servio' P. *tuis* desiderari nequit; cf. *Trin.* 302 ,Tuis servivi servitutem inperiis, praeceptis, pater'. Palatinorum scriptura ex locorum velut *Mil. glor.* 806 ,tibi sum oboediens'; *Amph.* 989 ,Ego sum Iovi dicto audiens' al. recordatione nata est.

Truc. 209

A: ego interim hic apud vos opperibor

P: ego interim te apud vos opperibor.

Diniarchus enim Astaphii reditum expectat; cf. 208 ,quam mox te huc recipis?'. *Asin.* 827. *Trin.* 391 ,ego te opperiar domi'. sed non minus placet Ambrosiani scriptura.

Pseud. 713

A: Quin tu, si[1]) quid opust, mi audacter imperas?

P: Quin tu quicquid opust, mi audacter imperas?

Ambrosiani scripturam coniectura Muellerus *Pros. Plaut. Add.* p. 120 adn. iam adsecutus contulit *Aul.* 193 ,dic, si quid opust, impera'. *Cist.* IV 2, 56. *Poen.* 1040. Palatinorum memoria etiam metro reiectanea est.

Pseud. 421

P: Atque id iam pridem sensi.

hoc A false.

Stich. 297 A: ,neque id viri officium arbitror'; *hoc* P falso. ceterum talia a grammaticis librariisve proficisci potuisse consentaneum est.

Most. 957

A: Quartus, quintus, sextus usque, postquam peregre illius pater Abiit.

P: ,postquam hinc peregre eius pater', quod Ritschelius emendavit ,postquam peregre hinc eius pater'. cf. v. 975 sq.: ,Et postquam eius hinc pater Sit profectus peregre'. *peregre hinc* coniuncta habes *Most.* 25. *Trin.* 149. illud tamen monendum est, de Ambrosiani scriptura non plane constare; Geppertus enim alia legere sibi visus est.[2])

Subnectam *Most.* 971

P: Qui postquam pater ad mercatum-abiit hinc, tibicinam Liberavit.

Studemundus *ann. phil.* XCIII p. 60: ,A giebt nach einer ganz andern Recension ohne Hiat: qui postquam pater ad mercatum hinc abiit, hic tibicinam Liberavit.' ubi paene dixeris histrionem, sive grammaticum malueris, hiatus fastidiosum *hic*, quod satis languet, inseruisse.

---

[1]) Loewius sane *Anal. Plaut.* p. 169 scribit ,Buggei Muellerique *quin tu sic quid opus* palimpsestus comprobat'; ubi *sic* typothetae errori deberi videtur, cum Muellerus Buggiusque *si* proposuerint.

[2]) Mero errore *Most.* 795 ,Senéx ipsus te ánte ostium éccum opperitur' in A pro *eccum* scriptum est *illud*.

Pseud. 218

P: En excetra tu, quae tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos.

A: ‚Ain excetra tu'; Ritschelium perperam Ambrosiani lectionem praetulisse docuerunt Lorenzius adn. crit. ad v. 218 et Langenus l. c. p. 119, cuius haec est disputatio: ‚ain, ain tu, ain vero, ain tandem stehen entweder als Unterbrechung der Rede eines andern beim Beginne der Gegenrede oder als blosse Unterbrechung zum Ausdruck der Verwunderung, Überraschung über das, was ein anderer gesagt hat, im Ganzen bei Plautus 25 Mal, nie jedoch im Verlaufe einer Rede'. at grammatico quis talem mutationem tribuerit?

Venio ad locos incertiores.

Pseud. 307; cf. Gepperti *stud.* II p. 60.

Ag: Det, det usque aut quando nil sit, simul amare desinat

P: Detque usque aut quando e. q. s.

quem locum Niemeyerus p. 8 inter certa recensionis in P factae exempla enumerat. sed prorsus incredibile est grammaticum, qui metris consulto prospiceret, et pinguissimum hiatum tulisse et tam dementi coniectura (*perpetuat detque*) versum sanare studuisse. itaque aut in P omnino recensio statuenda non est aut — ut dicam quod sentio — Palatinorum scriptura corrupta est ex ‚det usque usque aut quando nil sit'. vocis *usque* geminatio quam egregie sententiae conveniat non est quod moneam; codicum autem apices ad hanc scripturam etiam manifestius ducunt quam *Amph.* 253, quem versum in libris cum hiatu traditum ‚Haec íllic est pugnáta pugna - úsque a mani ad vésperum' Ribbeckius *Mus. Rhen.* XXXVIII p. 450 sic restituit: ‚Haec illic est pugnata pugna usque usque a mani ad vesperum'; attulit autem haec exempla secundum Woelfflinium (*Sitzungsber. d. Münch Acad.* 1882 I p. 468): Mart. V 60, 1: ‚adlatres licet usque nos et usque'; Apul. *Met.* I 38 ‚fines usque et usque proterminare'. contra quem monuit Abraham l. c. p. 209 utroque loco *usque et usque* legi, non *usque usque*; quod etsi non multum valere mihi videtur, tamen nescio an praeferenda sit Studemundi emendatio ibidem prolata: ‚Haec illi sic pugnata pugnast a mani usque ad vesperum'. Pseuduli autem versum si recte emendavi, paris profecto dignitatis duae scripturae aetatem tulerunt.

Iam copia locorum, qui huc pertinere mihi videntur, exhausta est. sed non supervacaneum mihi videtur iterum repetere

me minime unoquoque loco, quem huic capiti inserui, diversitates ex histricis exemplaribus derivatas esse spondere. non enim sum nescius interdum etiam librariis inter scribendum accidisse ut quasi inviti verbo cuidam aliud subicerent. cuius rei luculentissimum exemplum adest *Pseud.* 1207. versus *Pseud.* 1205—1207 in A P suo loco scripti in P iterati sunt post v. 1161, ut idem videlicet argumentum continentes, quod v. 1160. 1162 sqq. illo autem loco cum recte versus 1207 tradatur ,Dedit huic atque hominem exornavit, mulierem qui abduceret', altero loco sensu casso scriptum est ,qui arcesseret', aperto librarii errore.

Deinde ne magistelli quidem eiusmodi interpolationibus abstinuerunt. velut *Truc.* 130 sq. Bergkius optime restituit ,quem arcessis? ‖ Archilinam Tonstricem', cum A *Meretricem*, P *Obstetricem* praebeant. *Epid.* 503 iuxta genuinam vocem stultissima interpolatio aetatem tulit.

P: Sed tu novistin fidicinam Acropolistidem?

A: ,novistin mulierem fidicinam'. in universum autem interpolatorum ineptiae toto caelo diversae sunt ab egregiis illis inventis, quae multa supra collegi.

Sed cum ex horum locorum multitudine quidam, ut a librariis grammaticisve profecti, detrahendi sint, ex altera parte nonnulli, quos grammaticae recensioni ego olim tribui, scaenicae potius attribuendi videntur. velut nunc paene piget quod *Truc.* 363

A: Vellem, si fieri posset. ‖ cedo soleas puer
P: Velim, si fieri possit. ‖ cedo soleas mihi.

Truc. 378 A: Iam lauta's? ‖ lauta mihi quidem e. q. s.
P: Iam lauta's? ‖ iam pol mihi quidem e. q. s.

Pseud. 397 A: Quoi neque parati est quicquam certi consili
P: Quoi neque parata gutta certi consili.

Merc. 475 A: Tuus amicus et sodalis et vicinus proximus
P: Tuus amicus et sodalis simul vicinus proximus

non in hoc caput recepi.

Transeo ad quaestionem de collocatione verborum per recensiones diversa instituendam. cuius generis discrepantiae omnium longe creberrimae atque ita comparatae sunt, ut nulla alia re dilucidius appareat longe maiorem partem discrepantiarum inter recensiones extantium non posse ex sola grammaticorum nedum librariorum opera repeti, sed ad exemplaria histrionum redire. namque etsi librarii transpositis verbis saepenumero versus metrum corruperunt, aliquotiens etiam felici casu non corrupisse

credendi sunt: tamen postquam discrepantias quae huc pertinent attulero, per earum naturam et multitudinem non licebit in casu neglegentiaque librariorum unicam diversitatum causam conspicere. an fortasse ad grammaticos correctores eaedem redeunt tantum non omnes? at grammaticorum in universum nihil interfuit ut ordinem verborum mutarent; si vero nihilo minus mutaverunt, aperte certam normam corrigendi observaremus, quam aut alteruter aut uterque recensionum auctor secutus esset. ac re vera permagno numero locorum in utraque recensione eum in modum correctio facta est, ut verba quae mente coniungenda erant etiam in versu quam proxime collocarentur; quales mutationes ut a grammaticis proficisci potuisse nunc quidem largiamur, ad quosnam auctores referemus versus, quorum diversissima in recensionibus memoria est, neque tamen qua de causa mutatio facta sit vel levissimo indicio ostenditur? cuius rei exemplum quam maxime memorabile praeoccupo *Pseud.* 446

A: Scelerum caput, hic corrupit mihi filium
P: Hic mihi corrumpit[1]) filium, scelerum caput.

ubi quam maxime apparet neque casu hanc differentiam ortam esse et Ambrosiani versum longe cedere Palatinis; sed obscurissimum est qua de causa omnium verborum ordinem everterit qui illam formam constituit. porro quid dicemus de iis versibus, ubi in altera recensione verba sensu coniungenda etiam in proxima vicinitate recte collocata sunt, in altera falso sed metro non violato dirempta inveniuntur? ut hic quoque exemplum ilico afferam, in *Truc.* 268 nemo dubitat quin P et Nonius verum verborum ordinem servaverint:

Iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram,

quos contra A ex aperta correctione hunc versum a metro minime vituperandum praebet:

---

[1]) *Corrupit* antequam ex A enucleatum est Bergkius (cf. Lorenzius adn. crit. ad v.) coniecerat; sed *corrumpit* nequaquam intolerabile; cf. *Epid.* 268 quae illum corrumpit tibi', quamquam de meretrice sermo est, ,quam tuos gnatus annos multos deamat, deperit, Ubi fidemque remque seque teque properat perdere' (v. 219 sq.); cf. *Bacch.* 419 sq. ,Non sino, neque equidem illum me vivo corrumpi sinam. Sed tu qui pro tam corrupto dicis causam filio' e. q. s. *Bacch.* 1190, quo loco ,ubi filius corrumpatur meus' de filio iam pridem corrupto dicitur.

Iam hercle ego hic te, quasi sus catulos, mulier, pedibus proteram.

quales mutationes si quis ad grammaticos auctores referendas esse dicit, ‚isti quidem hercle orationist Oedipo opus coniectore'. sed omnes difficultates solvuntur, si hic quoque archetypos et Ambrosiani et Palatinorum ad exemplar librorum histricorum recensitos esse credimus; histrionum enim, si cui, intererat ut intellegendi facilitati ita subvenirent, ut verba mente arte coniungenda etiam quoad fieri poterat proxime collocarent; histriones animum attendebant, ut pronuntiationem impeditam transpositis verbis commodiorem redderent; histrionibus autem etiam facillime accidere potuit ut sine ulla causa, sed memoria tantum destituti collocationem verborum mutarent, verbis vicinis alia interponerent atque adeo ita peccarent, ut metro quidem non exciderent, sed versus minus elegantes redderent, quam a poeta profecti erant. qui versus mutati quando apud histriones increbruerant atque inveteraverant, quid mirum si in exemplaria quoque quibus utebantur transibant eodem modo, quo in tragoediarum Graecarum libros histrionum variae lectiones transierunt? diversitates igitur in collocatione verborum inter recensiones intercedentes maximam partem ad histrionum exemplaria refero et, quoniam id genus earum ab illis, quae casu aut grammaticorum opera natae sunt, segregari nequit, ad unam omnes in hoc caput congregavi.

In collocationem verborum per recensiones mirum quam diversam animum iam advertit Studemundus *Mus. Rhen.* XXI p. 581 sq. ad *Trin.* 25

A: Et conducibile; nam ego hodie amicum meum

P: Et conducibile; nam ego amicum hodie meum

haec adnotans: ‚Sehr häufig weicht die Palatinische Recension von der Ambrosianischen in Bezug auf die Wortstellung ab, ohne dass man aus metrischen und prosodischen Gründen einer von beiden entschieden den Vorzug geben könnte. Hier jedoch hat man entschieden den P zu folgen'. qui quod hic illic litem inter recensiones ita dirimere studet, ut eam versus formam, quae severioribus trimetri Graeci legibus respondeat, praeferat, mihi quidem legem novam sed eam non probandam in crisin Plautinam videtur intulisse. disputat enim p. 604 sq. ad *Trin.* 438:

A: Bene volt tibi. ‖ edepol mecum mutuum facit

P: Bene volt tibi. ‖ edepol mutuum mecum facit.

‚In P ist der 4. Fuss rein, der 5. unrein, überhaupt der ganze

Vers im Einklange mit dem griechischen Trimeter gebaut'; et p. 583 ad *Trin.* 33:

A: Neque quicquam hic nunc est vile, nisi mores mali

P: Neque quicquam hic vile nunc est, nisi mores mali

,Beide Wortstellungen sind metrisch und sprachlich möglich, die der P bewirkt einen unreinen 4. Fuss. Umgekehrt bewahren die P Reinheit des 4. Fusses im Senar v. 88

A: Sed istuc negoti cupio scire quid siet

P: Sed istuc negoti scire cupio quidquid est,

während die ganz abweichende ambros. Recension diese aufgiebt.'

Ego de collocatione verborum quaestionem instituens inter innumerabiles locos, quibus in senario quarta sedes spondeo occupatur, fere sedecim versus inveni, quibus recensiones ita discrepant, ut iambum quarti pedis, spondeum quinti modo A (cf. *Trin.* 33. 91. 508. 765. 560) modo P (cf. *Trin.* 88. 438. *Men.* 176. *Truc.* 388) servent. unde concluserim neque in his diversitatibus rationem rei metricae ab auctoribus recensionum habitam esse, neque quarti iambi integritatem ambiguis locis quicquam valere ad poetae manum reciperandam. non enim desunt loci quibus A iambum quarti pedis, sed falsam verborum collocationem habet; velut *Trin.* 33

A: Neque quicquam hic nunc est vile nisi mores mali

P: Neque quicquam hic vile nunc est, nisi mores mali

sententia ut Ambrosiani scripturam aspernemur suadet, quod idem et sententia et accentus commendant *Trin.* 91

A: Sunt quos scio amicos esse, sunt quos suspicor

P: Sunt quos scio esse amicos, sunt quos suspicor.

sed dum de verborum collocatione in recensionibus diversa quaero, ad aliam observationem adductus sum, quam supra iam commemoravi posteaque vidi a Studemundo quoque sed obiter tantum in unius loci utilitatem adhibitam esse.

Cas. II 1, 6 haec est codicum memoria:

A: filio suo advorsatur

P: filio advorsatur suo.

Studemundus (*Zeitschr. f. G. W.* XVIII p. 546) sic disserit: ,Die seltenere Wortstellung der P kann viel schwerer durch absichtliches Abweichen des Schreibers von der Überlieferung erklärt werden, als die Wortfolge des A, dessen Schreiber das zu filio gehörige suo möglicherweise eng neben dieses zu stellen wünschte'. vere haec ille: patet autem hoc genus corrigendi tam

late, ut haec emendandi certa lex et constantia iure statui possit; quae cum adhuc non cognita esset, factum est ut editores sat multis locis Ambrosiani scripturam a correctore adornatam pro Plautina acciperent; nam cum Palatinis, quae editorum de recensionum auctoritate esse solet sententia, raro vel numquam peccatum est.

In A vero a correctore oratio ad planiorem verborum ordinem revocata est his locis:

Truc. 285 P: Nullan istic mulier habitat?
A: Nullan mulier istic habitat?

Pseud. 615 P: Quid illic secum solus loquitur?
A: Quid illic solus secum loquitur?

Trin. 456
P: Ferĕntárium esse amicum inventum intellego
A aut: Ferĕ́ntarium amicum ésse inventum intellego
aut: Ferĕntárium amicum-ésse inventum intéllego.

Trin. 91
P: Sunt quos scio esse amicos, sunt quos suspicor
A: Sunt quos scio amicos esse, sunt quos suspicor.

Trin. 651 P: In foro operam amicis da
A: In foro amicis operam da.

Trin. 860
P: Dábo operam, ut me esse ípsum plane sýcophantam séntiat
A: Dabo operam, ut me ipsum plane esse sycophantam sentiat.

Trin. 1051 ‚Quóm repetas, inimícum amicum béneficio inveniás tuo‘ P, ‚amicum invenias beneficio tuo‘ A, quem praeter Spengelium Wagnerumque omnes secuti sunt.

Rud. 573 P: Át vides me, ornátus ut sim
A: Át vides me, ut órnatus sim.

cf. Ritschelius *Nov. exc. Plaut.* p. 39.

Merc. 278 P: Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum
A: Pisto ipsi facito ut coram tradas in manum.

Pers. 417 P: Sine respirare me, tibi ut respondeam
A: Sine respirare me, ut tibi respondeam.

Truc. 239
P: Nam ecastor numquam satis dedit suae quisquam amicae amator
A: ‚Nam ecastor numquam satis dedit amicae quisque amator

suae‘, quod redit ad

Nam ecastor numquam satis dedit suae amicae quisque amator.

His locis editores Palatinos secuti sunt; discesserunt iniuria ut opinor ab iis:

Pers. 400

P: Quidnam esse acturum dicam hunc vicinum meum

A: Quidnam esse acturum dicam hunc vicinum meum,

quod Ritschelius recepit.

Mil. glor. 40

P: Novisse mores me tuos meditate decet

A: Novisse mores tuos me meditate decet.

cum A omnes editores.

Pseud. 1234 P: dum hac domum redeam via.

in A cum in fine versus extet ũ, Loewius (*Anal. Plaut.* p. 172) apparere dicit scribendum esse ‚dum hac via redeam domum‘. ego propter exquisitam verborum collocationem fidenter Palatinos probo.

Men. 246 P: quam cordi sit carus meo

A: quam carus sit cordi meo,

ubi editores, quamvis causa mutandi aperta sit, Ambrosianum sequi maluerunt; ceterum cf. *Epid.* 133 ‚Quia meo neque carast cordi‘.

Merc. 303

P: Hodie ire in ludum occepi litterarium

A: Hodie eire occepi in ludum litterarium,

cuius scripturam Goetzius recepit.

Truc. 308

P: Ni ego vostra ero maiori facta denarravero

A: Ni ego ero maiori vostra facta denarravero.

Schoellius Ambrosiani versum edidit.

Stich. 133 P: Plácet ille meus míhi mendicus

A: Plácet ille mihi méus mendicus.

Poen. 1228

P: Nunc pól ego te ulciscar probe, nam faxo mea eris sponsa

A: Nunc égo pol te ulciscar probe, nam faxo eris mea sponsa.

Geppertus Ambrosianum secutus est, Goetzius *ego pol* et *mea eris* edens versum falso composuit ex utriusque recensionis scriptura.

Quibus locis si addidero *Epid.* 606, de quo iam supra egi, exhausta est copia locorum, quos huc pertinentes collegi.

Sed ne Palatini quidem eiusmodi conaminibus vacant:

Cas. prol. 67
A: Sunt hic inter se quos nunc credo dicere
P: Sunt hic quos credo nunc inter se dicere.

Cas. prol. 60 A: filium sensit suum
P: sensit filium suum.

P illegitimum in quinto senarii pede iambum praebent.

Merc. 544 A: Tandem impetravi, me egomet ut corrumperem
P: Tandem impetravi, ut egomet me corrumperem.

Trin. 51 A: Quid túa agit uxor?
P: Quid agit tua uxor?

Trin. 388 A: Grávius tuum erit unum verbum
P: Gravius erit tuum unum verbum.

Trin. 376 A: hoc pacto ab illo summam inibis gratiam
P: hoc pacto ab illo inibis summam gratiam.

Trin. 652 A: Atque istum ego agrum tibi relinqui — expeto
P: Atque ego istum agrum tibi e. q. s.

Trin. 451 A: Mearum me rerum novisse aequomst ordinem
P: Mearum rerum me novisse aequomst ordinem.

Poen. 965 A: tuas te popularis pati Servire
P: te tuas popularis pati Servire.

Pseud. 743 A: meo me ludo lamberas
P: me meo ludo lamberas.

Mil. glor. 373 A: Ibi mei sunt maiores siti
P: Ibi mei maiores sunt siti,

ubi cum exquisitiore collocatione etiam accentus ad vulgaris sermonis consuetudinem reducuntur in P.

Mil. glor. 389
A: Nam argúere in somnis mé meus mihi fámiliaris vísust
P: Nam argúere in somnis mé familiarís meus mihi vísust.

Pseud. 1065 A: O fortunate, fortunatam cedo manum
P: O fortunate, cedo fortunatam manum.

Trin. 1049 A: eorum ex ingenio
P: ex eorum ingenio.

Epid. 238 ,Paúlum ab illis díssimulabam earum óperam sermoní dare' A, ,Paulum ab illis dissimulabam me harum sermoni operam dare' P, ubi *me harum* non alteri recensioni sed errori tribuendum censeo, transpositionis in P factae ratio eadem est,

quae in A *Trin.* 651, videlicet ne verba *operam dare*, quae unius verbi notionem habent, dirimantur.

Cas. III 6, 24 ,Tam mihi mea vita, Tua quam tibi carast' A; ,quam tua tibi carast' P.

In his non tam fervide agam, ut negem casu fortasse hic illic non consilio eiusmodi mutationes exortas esse vel fieri posse ut inter locos enumeratos unus alterve extet, quo simplicior verborum ordo ad ipsum Plautum referendus sit; nam caute iudicandum esse ea res nos monet, quod interdum exquisitae verborum collocationis speciem fallacem esse aliis rationibus evincitur; velut *Trin.* 94

P: Sed tu éx amicis cértis mi es certíssimus
A: Sed tu éx amicis mi és certis certíssimus

Ambrosianus verba *amicis certis* dirempta sed foedissimos numeros habet.

Trin. 470 A: ,Adpósita cena sít'; P: ,Adposita sit cená' cum vitio metrico.

Mil. glor. 157

P: Ni hercle diffregeritis talos posthac quemque in tegulis
Videritis alienum, ego vostra faciam latera lorea
A: Videritis alienum, vestra ego faciam latera lorea.

Palatinorum scriptura commendatur v. *Pseud.* 145

Ita ego vostra latera loris faciam valide varia ut sint.

Pseud. 390 in A est:

Pauci ex multis sunt amici, homini certi qui sient

P: *qui certi sient.*

Mil. glor. 265

A: Novi morem egomet: tacere nequeo, solus quod scio.

in P cum *quod* desit, Brixius in Palatinorum archetypo fuisse ,n e q u e o q u o d solus scio' recte collegit. nonne his locis idem recensionis genus, quod supra observavimus, in P apparere videtur? at eorum scripturam veram esse demonstrat reconditior lex rhythmica, quae in A neglecta est. Brixius enim animadvertit Plautum in hoc metri genere vitare, si fieri possit, tales accentus: *sólus quód scio, cérti quí sient;* adamavit autem *quód solús scio, quí certí sient;* cf. Brixius in app. crit. ad *Mil. glor.* 265. vides in exquisitiore vel simpliciore verborum collocatione adminiculum artis criticae factitandae sane nobis praeberi, sed quo cautissime utendum est. pergo autem in eiusmodi diversitatibus, quae

quidem aliqua de causa memorabiles mihi videntur (nam omnes enumerare nullius esset utilitatis) afferendis.

Truc. 213

P: Huic hómini amanti méa era apud nos díxit neniam dé bonis

A: Huic hómini apud nos méa era amanti néniam dixit dé bonis.

utrobique videmus ab auctoribus recensionum comprobatam esse synizesin ultimarum vocis *neniam* syllabarum, qualem ars metrica ipsius Plauti non admittit. utraque igitur recensio versum aliena manu adornatum praebet. qua in condicione ego quidem in eo acquiescendum esse arbitror, ut duplicem eiusdem versus memoriam ipsa antiquitate ortam (et me quidem iudice ad histrionum exemplaria redeuntem) aetatem tulisse statuamus; nam quaecunque temptaverunt viri docti, ut versum vere Plautinum reciperarent, incertiore fundamento nituntur. velut quod Geppertus et Schoellius a P proficiscentes scripserunt alter

Huic homini amanti mea era neniam apud nos dixit de bonis,

alter

Huic homini amanti neniam mea era apud nos dixit de bonis,

aperte eo nititur, ut in archetypo utriusque recensionis communi fuerit integer versus Plautinus, qui postea in utraque recensione in diversas formas abierit. quid vero si versum iam in archetypo illo principe contendam formam aut quam in A aut quam in P hodie legimus habuisse iam adornatam, postea autem hunc versum ab auctore recensionis aut Palatinae aut Ambrosianae, sive suo Marte mutavit sive alios fontes (exemplaria histrica dico) secutus est, denuo in aliam formam redactum esse? atque re vera in eam opinionem ducimur versus exitu in recensionibus in universum concinente, nisi quod A ‚neniam dixit de bonis', P ‚dixit neniam de bonis' praebent. quorum alterum in archetypo principe fuisse persuasum habeo. quod si verum est, quis fidem fecerit transpositione verborum instituta versum Plautinum vere reciperatum esse, et non potius histrionem Plautinis verbis subiecisse omnino nova, quorum emendatione tum omnino abstinendum esset? itaque iam manus demus fatentes nobis quidem ultra utriusque recensionis archetypum progredi non licere. atque adest nobis grave testimonium retractationis in ipso archetypo principe factae, si recte Sophus Buggius *annal. phil.* CVII p. 405 adsentiente Leidolpho l. c. p. 226 iudica-

vit veri versus Plautini reliquias prodire ex Festi p. 161 laciniis ‚Huic hom[—] dixit domi et ap[—] niam esto‘, quas sic supplet, ut Festus citaverit versum ‚Huic hom[ini amanti mea era apud nos naeniam] dixit domi‘ et verba proxima ‚et ap[ud— ne]niam esto‘ ad alium alius scriptoris versum pertineant. quod num recte fecerit nunc nolo examinare.

Pseud. 52 Leno me peregre militi Macedonio
A: Minis viginti, mea voluptas, vendidit
P: Minis viginti vendidit, voluptas mea.

sicine putabimus in alterautra recensione grammaticum mutasse versum? nonne veri similius est histrionem ut vitaret asperiorem pronuntiationem ‚volŭptás mea‘ transposuisse ‚mea voluptas vendidit‘.

Men. 226 A: Voluptas nullast navitis, Messenio
P: Nullast voluptas navitis, Messenio,

ubi ex codice quodam Ambrosianae recensionis hausit Lutat. Placid. in Stat. *Theb.* II 194.

Mil. glor. 1430 P: Nam[que][1]) illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat
A: Nam[que] illic, qui ob oculum habebat lanam, nauta non erat.

Truc. 300 A: Nemo homo hic solet perire apud nos
P: Nemo hominum hic perire solet apud nos.

Truc. 388 A: Tibi mea consilia semper summa credidi
P: Tibi mea consilia summa semper credidi.

Pseud. 618 A: Qui argenti meo ero lenoni quindecim dederat minas
P: Qui argenti ero meo lenoni quindecim minas dederit.

Palatinorum pessima scriptura in extremo versu certe, in medio probabiliter casui tribuetur.

Pseud. 1052 A: Hahae, nunc mihi demum animus in tuto locost
P: Hahae, nunc demum mihi animus in tuto locost.

ubi, etsi ‚nunc mihi demum‘ non intolerabile est (cf. Ussingius ad v.), tamen Palatinorum memoria praeferenda est.

Pseud. 1222 A: Hércle te hau sinám moriri
P: Hercle hau te sinam moriri.

---

[1]) Sic ego quidem scripserim cum Acidalio; *nam* AP; Ribbeckius *oculum unum*.

Trin. 485 A: Semper tu facito, Lesbonice, hoc cogites
P: Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites,
ubi Palatinorum collocatio verborum usui Plautino respondet; cf. *Stich.* 519 ‚hoc tu facito ut cogites' AP.

Contra *Pseud.* 1191
A: Responde obsecro hercle hoc vero serio quod te rogo
P: Responde obsecro hercle vero serio hoc quod te rogo.
Ambrosianus verum habet; cf. Muellerus *Add.* p. 140. Loewius *Anal. Plaut.* p. 172.

Trin. 765 A: Homo conducatur iam aliquis quantum potest
P: Homo conducatur aliquis iam quantum potest.
utrumque Plautinum; cf. *Stich.* 232 ‚Haec venivisse iam opus est quantum potest'; sed longe crebrius ‚iam quantum potest' extat *Men.* 875. *Pers.* 142. *Poen.* 567. *Asin.* 607.

Quibusdam locis in P duplex scriptura servata est. *Mil. glor.* 747 ‚méo remigio rém gero' A; ‚meo rem remigio rem gero' P, in quo latet, ut Ribbeckius vidit, et ‚meo remigio rem gero' et ‚meo rem remigio gero', quod nescio an praeferendum sit.

Pseud. 845 ‚Si nu[m]quam is coctis' BC, i. e. ‚si numquam coctum is' (sic A) et ‚si numquam is coctum'.

Men. 176
P: Expedite fabulatu's. iam foris ferio? ‖ feri
A: Expedite fabulatu's. iam ferio foris? ‖ feri
cum vitio metrico.

Men. 264
A: Quia nemo ferme sine damno huc devortitur
P: Quia nemo ferme huc sine damno devortitur.

Men. 265
A: Ego istuc cavebo. cedodum huc mihi marsuppium
P: Ego istuc cavebo. cedodum mihi hŭc marsuppium.
cf. p. 74, ubi etiam de *Mil. glor.* 182 actum est.

Mil. glor. 1432
A: Nam postquam porta exierunt, nil cessarunt ilico
P: Nam postquam exierunt porta, nil cessarunt ilico.

Mil. glor. 1417
P: Quid, si id non faxis? ‖ ut vivam semper intestabilis
A: Quid, si id non faxis? ‖ ut semper vivam intestabilis
aut casu aut comprobato a correctore hiatu apud ipsum Plautum non ferendo. idem valet de

Most. 657
P: Nullum edepol hodie genus est hominum taetrius
A: Nullum edepol genus est hodie hominum taetrius
cum hiatu in caesura semiseptenaria.

Alii loci casui tribuendi videntur, velut

Stich. 411 ‚Béne re gésta' A, ‚Béne gestá re' P.
622 ‚geniúm meliórem' A, ‚meliórem génium' P.
588 ‚hunc hercle ad cenam ut vocem' A, ‚ad cenam hercle' P.
162 ‚illam cepisse' P male, ‚cepisse illam' A.
Truc. 306 ‚veteres lateres' A, Prisc. ‚lateres veteres' P.
Merc. 264 ‚amavi equidem hercle' A, ‚amavi hercle equidem' P.
275 ‚ne uxor me castret mea' P, ‚ne me uxor' A male.
de *Merc.* 534 supra p. 19 actum est.
Truc. 359 ‚Salve! hicine hodie cenas?' P, ‚cenas hodie?' A.
Trin. 325 ‚véniam dare iam géstio' P, ‚dáre iam veniam géstio' A.
419 ‚Ratio quidem hercle apparet' P, ‚Ratio quidem apparet hercle' A.
466 ‚ita nunc tu dicis' A, ‚tu nunc' P.
421 A: Et ille aedes mancipio abs te accepit. ‖ admodum
P: Et ille aedes abs te mancipio accepit. ‖ admodum,
quod redire videtur ad ‚Et ille aedes abs te accepit mancupio. ‖ admodum'.

Trin. 837 ‚túa propitía pax' A male, ‚tua pax propitia' P.
838 ‚otió dare mé' A, ‚otió me dáre' P.
1068 ‚réspice húc ad me' A, ‚réspice ád me huc' P.
Pers. 596 ‚quantist hominem amicum adhibere' A, ‚adhibere hominem amicum' P.
Bacch. 949 ‚nam illi itidem Ulixem audivi' A, ‚audivi Ulixem' P.
Stich. 512 ‚me vobis dare' A, ‚me dare vobis' P.

Restat ut de duobus locis agam, quorum utrumque non tam scaenicae quam grammaticae recensioni adnumerandum esse sero vidi, alterum autem ob gravitatem prorsus singularem, quam ad nostram quaestionem habet, non inepte a ceterorum communione segregari contenderim, etsi post versus *Mil. glor.* 1180. *Truc.* 271. *Epid.* 620 locus ei erat aptior.

Mil. glor. 374

A: Non mihi possunt minis tuis hisce oculis exfodiri

B: Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculis fodiri

CD: Non mihi possunt minaciis tuis hisce oculi fodiri.

in utraque recensione versus correctorum manum expertus est, ita tamen, ut quid in archetypo principe fuerit indagari possit. etenim quod in P legitur *fodiri*, etsi a linguae consuetudine non adeo abhorret atque Ritschelio *Opusc.* II p. 650 visum est — cf. Ovid. *a. a.* I 339 ,quid fodis immeritis, Phineu, sua lumina natis' — tamen Plautino usui refragatur, quo *exfodiri*, ut A praebet, efflagitatur. porro in A *minis*, in P *minaciis* legimus. vocem *minaciae*, quam Ritschelius initio omnino nullam esse dixerat, postea (ibidem in adnotatione) e popularium sermone desumptam esse posse concessit, analogiis satis firmatam esse post Hauptii curas nemo negabit; cf. *ind. lect. Berol.* 1856 p. 10 = *Op.* II p. 110. invenitur autem *Truc.* 948

Meliust te minis certare mecum, quam minaciis

et *Rud.* 795 F.

A: Minacias ego flocci non faciam tuas

P: Minacias ego istas flocci non facio tuas.

ac Rassowius (*de Plauti substantivis* in *ann. phil. suppl.* XII p. 593) suo iure monuit minime veri simile esse eam formam, quae post Plautum in litteris latinis non invenitur et sine dubio nullus librarius noverat, a quoquam illatam esse in Palatinos codices. immo consentaneum esse hoc loco ut saepius Ambrosiano formam noviciam obtrusam esse. atque in Rudentis versu, cum *minacias* utraque recensio exhibeat, *istas* vero, quo in solis P servato metrum turbatur, prorsus otiosum sit (cf. *Truc.* 948), paene dixerim rationi repugnare, si quis ut *istas* servaret, quamquam vox *minaciae* ut latina satis vindicata est, *minas* e coniectura scribat nec potius Ambrosianum secutus *istas* eiciat. idque si recte disputatum est, iam dubitatio nulla est quin versui quoque Militis gloriosi vox *minaciis* restituenda sit. itaque si ex A *exfodiri*, ex P *minaciis* reducimus, habemus formam versus, qualem in archetypo principe fuisse spoponderim

Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculis exfodiri.

qui quomodo in duas formas easdem, quas A et P nobis praebent, abierit apertissimum est; etenim cum versus iusto longior esset, variis modis utriusque recensionis auctores metro consuluerunt: Ambrosianae recensionis auctor *minis* pro *minaciis*, quam vocem

ignorabat, coniecit, Palatinae corrector *fodiri* scripsit. quomodo igitur recensionum discrepantiae natae sint quaestionem absolvisse nobis videmur, non item, quomodo tandem versus ille archetypi principis sanandus sit. sed si Muellerus (*Pros. Plaut.* p. 215 adn. *Add.* p. 47 adn.) recte iudicasset nominativum *oculis*[1]) non ipsi Plauto sed pravae librarii archetypum exarantis scripturae deberi, res esset nullius negotii; nam suapte sponte prodiret versus

Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi exfodiri.

me vero aeque ac Ritschelium Ribbeckium alios utriusque recensionis consensus retinet quominus antiquitatis testimonium contemnam. neque tamen probare possum quam Hermannus eumque secutus Rassowius versus formam commendarunt:

Non possunt tuis minaciis hisce oculis mi exfodiri.

si enim re vera in archetypo fuit quod supra contendi, parum habet probabilitatis ut ita dicam externae. mihi tam ratione quam probabilitate hoc unice commendari videtur, ut eiciamus *tuis*, quod tam non desideratur, quam facile potuit ab interpolatore addi. quod si delemus, nulla praeterea mutatione facta hunc versum Plauto ab omni parte dignum habemus:

Non possunt mihi minaciis hisce oculis exfodiri.

minaciis antecedenti *noli minitari* optime respondet: ‚Drohe nicht: durch Drohungen kannst Du mir diese meine Augen nicht ausreissen'. *tuis* non magis opus est, quam Truculenti versu supra allato. sic omnes turbae optime mihi expeditae videntur.

Most. 760. 761

A: Nam sibi laudavisse [ai]t hasce architectonem
Nescio quem exaedificatas esse [insan]um [bene]

P: Nam sibi laudasse hasce ait architectonem
Nescio quem esse aedificatas has sane bene.

ut leviora primum expediamus, *exaedificatas*, quod A praebet, ad orationis consilium appositum non est, nisi simplicis verbi notione accipitur. sed eius vocis vim aliam apud Plautum esse docet *Trin.* 132 ‚Qui exaedificaret suam incohatam ignaviam'; cum gravitate enim dicitur pro *völlig ausbauen, vollenden.* quae significatio cum huic loco non conveniat, non mediocris inde accedit auctoritas Palatinorum scripturae, qui sententiae accommodate praebent *esse aedificatas.* Niemeyero autem quaerenti num *exaedificatas* a grammatico scriptum esse putandum sit obicimus

[1]) Cf. Ritschelius *Op.* II p. 646 sqq., inprimis p. 650.

Epid. 165, ubi *exambulet* pro *ambulet* ab auctore recensionis Ambrosianae profectum esse supra demonstravimus, et *Merc.* 271, ubi *exit* pro *it* auctori recensionis Palatinae debetur. sed loci gravitas continetur altera discrepantia, quae in eodem versu extat. nam quod *has sane bene* P praebent, prava sane est coniectura, sed ea eius generis, quam non magistelli cuiusdam sedulitati sed ipsi auctori recensionis tribuamus. quem apertum est, cum coniecturam faceret, ante oculos habuisse non scripturam quam A praebet *insanum bene*, sed *insane bene*, qua sola ad mutationem *has sane bene* potuit perduci. hanc autem recensionum diversitatem ut summae antiquitati tribuam cogor altero loco gemello *Mil. glor.* 24, quem Ritschelius egregie tractavit *Op. phil.* III 789 sqq.

A: Me sibi habeto: ego me mancupio dabo:
Nisi unum . . . . tur (?) insanum bene

P: Me sibi habeto: et ego me mancupio dabo:
Nisi unum epityrum apud illum estur insane bene [1]).

eius enim loci diversitas scripturae ad ipsa Varronis tempora refertur, qui videlicet *de l. lat.* VII 86 [2]) ut P *insane bene* memoriae tradidit. qui neque archetypo Palatinae recensionis usus est — cum verborum *apud illum* non magis atque in A ullum vestigium appareat (cf. p. 76) — neque archetypo Ambrosianae recensionis — id quod ex diversa scriptura *insanum* et *insane* colligendum est — neque denique communem utriusque recensionis archetypum communem adhibuit — in quo aut *illi* aut scripturam inde derivatam *apud illum* fuisse nostro iure sumimus. immo ut *Pseud.* 955, de quo loco egi p. 120 et *Merc.* 615 [3]) Varro codice usus esse videtur ab omnibus illis diverso. quid igitur? scripturam *insane bene* in duobus fabularum Plautinarum exemplaribus antiquissimis, nullo inter se conexu coniunctis extitisse evictum est, quibus unum obstat, in quo *insanum bene* legitur. qua in rerum condicione cum per se neutra scriptura reicienda

---

[1]) Ad quam scripturam Palatinos sublatis levioribus mendis librariorum redire Ritschelius demonstravit.

[2]) Varronis verba secundum cod. Florent. sunt: ‚apud plautum si unum epityra estuer insane bene. epityrum vocabulum est cibi, quo frequentius sicilia, quam italia usa. id (id edi *Muellerus*) vehementer cum vellet dicere, dicit insane, quod insani faciunt omnia vehementer'.

[3]) *Nec* P, *non* Varro *de l. lat.* VII 60 unice recte.

sit, per leges artis criticae *insane bene* recipiendum est, *insanum bene* reiciendum, etsi externa specie, quae quam fallax sit sat saepe vidimus, quodammodo commendatur. neque in occulto est consilium correctoris Ambrosiani. etenim cum *Most.* 908 ‚insanum bonam', *Bacch.* 761 ‚insanum magnum', *Trin.* 673 ‚insanum malum hospitium' legere meminisset, ad horum exemplorum similitudinem duobus qui differebant locis docte sane emendavit *insanum bene.* Palatinorum autem fidei hoc accedit documentum non mediocre, quod *Bacch.* 761, quo loco *insanum* a Plauto profectum esse testimonio Festi p. 113 ‚insanum [insanum magnum *Lipsius*] pro valde magnum usus est Plautus' certum est, *insanum* cum fide servarunt. *insane* autem praeter *Most.* 761. *Mil. glor.* 24 habes *Curc.* 176. locis igitur illis *Epid.* 620. *Mil. glor.* 1180. *Truc.* 271 (cf. p. 20 sqq.) nunc accedit quartus, quo manifestum fit omnibus locis, quibus diversitatem scripturae ad summam antiquitatem referendam esse grammaticorum eiusdem aetatis testimoniis scimus, Palatinorum fidem egregie probari, in Ambrosiano correctoris satis docti manum conspici. ad Militis autem gloriosi versum ut redeam, Ambrosianum alio quoque loco grammatici correctoris operam expertum esse suspicor; qui cum exhibuisse videatur ‚Nisi unum epityrum estur insanum bene', desideratur *illi,* quo carere non possumus; pro quo cum in P legatur *apud illum,* non absonum est putare *apud illum* iam archetypi principis versum invasisse, unde expulerit metrum emendaturus corrector Ambrosiani comprobato in penthemimeri hiatu.

Caput quartum.

Desideraverint qui huius commentationis lectores existant nonnullos locos, quibus ab aliis retractatio facta iam indicata sit. quos ne neglegentia omisisse videar, meam de his sententiam quatenus necessarium videbitur exponere in animo est.

Trin. 207 Sciunt id quod in aurem rex reginae dixerit,
P: Sciunt quod Iuno fabulatast cum Iove
A: Item sciunt id quod Iuno e. q. s.

Niemeyerus p. 22 sibi probatam esse dicit Vahleni sententiam, qui in scholis *sciunt* e versu 208 eximendum et ex Ambrosiani

vestigiis *item ut* scribendum esse docuerit, correctori metrico tribuens quod in P *item id* non invenitur. at miror quod Vahlenus anaphoram verbi *sciunt*, qua iracundi et loquacis hominis oratio optime depingitur, aspernatus ex eo potius emendationem petivit, quod interpolationis speciem aperte prae se fert. *id* enim ex versu antecedente illatum esse non minus apparet, quam *item* pessimum esse additamentum.

Trin. 427[a] A: Qua sponsione pronuper tute exactus es

P: Qua sponsione pronuper tu exactus es.

si quis sit qui Spengelii emendationem ‚Quam sponsionem propter tute exactus es' probet atque adeo cum Niemeyero p. 22 in P correctionem metricam statuat, legat quae Goetzius *Jen. Litt. Zeit.* 1875 p. 567 disputavit.

Trin. 361

A: Ne exprobra pater: mala multa eveniunt homini, quae volt, quae non volt.

mala omittunt atque *opprobra* et *quae nevolt* exhibent P; cf. p. 25. Niemeyerus Bergkium secutus hunc versum caute sane commendat:

Ne exprobra pater: mala multa eveniunt homini quae nevolt.

at sententia, quae sic evadit, profecto neque sollers est nec Plauto digna. *mala* ex aperto glossemate ortum, ut *Pers.* 386 *fama* A, *mala fama* P; *Poen.* 882 ‚Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo ero meus, quod possiet Facere, faciat male' AP; *male* om. Goetzius; cf. de *Truc.* 306. 312 Schoellii *praef.* p. XIX.

Trin. 502 P: Quin fabulare: ‚di bene vortat: spondeo'?

A: Quin fabulare: ‚vin bene vortat: spondeo'?

quod sic Studemundus *Mus. Rhen.* XXI p. 609 scribit: ‚Quin fabulare: ‚vin? bene vortat! spondeo!' Weshalb sprichst Du nicht: ‚Willst Du sie wirklich? Wohlan denn, es sei', quod mihi non persuasit vir doctissimus. ‚di bene vortat' in A P eodem errore scriptum est, quo 573 in B. *vin*, quod A praebet, est mera dittographia ex antecedenti *quin* nata.[1]) aliorum coniecturas nunc non curo.

Trin. 848. ‚Quin ego nunc subigor trium nummorum causa, ut hasce epistulas Dicam ab eo homine me accepisse'. versus restituitur recepto genetivo *nummum.* in P quod *qui* scriptum

---

[1]) Olim cogitavi de „PH. Quin fabulare — ST. vin (fabulari *sive* dicere): ‚bene vortat: spondeo'?". sed ne id quidem simplicitati sermonis Plautini aptum mihi videtur.

est, Niemeyero p. 23 suspicionem recensionis inicit, quasi non saepissime *qui quin quid* inter se commutarentur. *Mil. glor.* 1124 (1119 Ribb.) *quin* P, *qui* A; *Pers.* 296 *qui* A recte, *quin* P. *Merc.* 502 *quin* A recte, *quid* B, *qui* CD. *Trin.* 464 *quin* A, *quid* P falso.

Pseud. 298 A: Postilla omnes cautiores sunt
P: Ab alienis cautiores sunt.

cf. Niemeyerus p. 54, qui *ab alienis* ut glossema versui superscriptum fuisse posse concedit. at non est interpretationis causa adscriptum huic versui, nam ‚cautiorem esse ab aliquo' latinum non est, sed versui antecedenti ‚Qui suom quom repetunt', sc. ab alienis.

Pseud. 398
Ag: Propera adduc hominem celeriter
P: Propera adduc hominem cito.

Niemeyerus p. 21 errorem a librario commissum esse minime concedit, immo eius auctoritati succurrit coniectura ‚propera hominem adhuc celeriter'. de proceleusmatico Muellerum citans (*Pros. Plaut.* p. 56) haec addit: ‚quamquam Plautus in universum proceleusmaticum recto iudicio perraro passus est, tamen hoc loco interpunctione et colore orationis non solum excusatur, sed etiam apte admittitur.' in quibus redarguendis nolo longus esse. Geppertum autem de *propera* delendo cogitasse adnotare satis est.

Stich. 392; cf. Niemeyerus p. 33. ‚Hercules qui deus sis, discessisti non bene' A, *non male* P, quae mera interpretatio est.

Truc. 181 ‚Amanti si cuin quod dabo non est, non didici fabulari' A; ‚Amantis siquit non danunt non didici fabulari' P; cf. Niemeyerus p. 23, qui in P metrum intactum esse monet. at in eo quoque exemplari, ex quo scriba Ambrosianum confecit, *non* post *cui* lectum esse ex relicta littera *n*, quam postea ut supervacaneam delevit aut scriba aut corrector, intellegitur. itaque Palatinorum archetypi scriba exemplar suum religiose descripsisse videtur, in A autem grammaticus ineptissima verba ‚quod dabo non est' addidisse videtur.

Truc. 224 A: ‚Bonis esse oportet dentibus lenam probam'; *probram* P. Niemeyerus p. 35: ‚corrector novum adiectivum ad exemplum substantivi *probrum* fortasse finxit.' Schoellius ad v.: ‚quode inepta profert Niemeyerus: cf. 832, *probri* BC = *probi*.'

Poen. 701 ‚Ibi ego te replebo usque unguentum geumatis' A; ‚Ibi te replebo-usque unguentum egeumatis' P. Studemundus *ann. phil.* XCIII p. 62: ‚*Poen.* III 3, 88 schiebt A ego nach ibi ein, folgt also einer ganz andern Recension.' quod tum demum

certum erit, cum *ego* aut in A interpolatum aut, si genuinum est, in P consulto deletum esse demonstratum erit.

Pers. 593 A: ,Quae ad rem referunt. ‖ atque hercle tu me monuisti haud male.' Niemeyerus p. 26 Ambrosianum retractatum esse, veram scripturam *et quidem hercle* ex P prodire contendit. at quod CD praebent *et qui* redit ad *atque*; in B levis corruptela longius serpsit; ibi enim legitur *et quidem.*

Pers. 734 ,Ne ego tibi Bona multa effeci' A, ,Bonam vitam feci' P.

Cas. IV 4, 17 ,multa bona mihi dedistis' A, *bonam vitam* P. errorem bis repetitum, non retractationem, statuendum esse in P evincit *Mil. glor.* 716, ubi A *tuam vitam* recte, P *tua multam* (*multa* B) praebent. utroque autem loco A quoque maculis adspersus est. nam *Pers.* 734 *effeci* Plautinum non esse supra dixi. in *Cas.* IV 4, 17 Studemundus eum quem A habet ordinem verborum prae eo, ad quem P nos ducunt, recte reiecit; cf. *Z. f. d. G. W.* XVIII p. 532.

Merc. 490. Goetzius mutare non ausus est quod in A scriptum est: ,Tanti, quanti poscit, vin tanto illam emi? ‖ auctorarium Adicito'. itaque fortasse recensionis Palatinae auctor remoto hoc verbo obscuro versum sic legit: ,Tanti, quanti poscit, vin tanti illam-emi? ‖ auctarium'. sed numquam extitit vox *auctorarium.* scripsit enim librarius Ambrosiani properanti stilo verbum *auctor*, errore autem statim animadverso quod scribere debebat addidit. sic unice recte Ambrosiani miram scripturam explicari testantur hae corruptelae simillimae: *Pseud.* 436 *at enim nequiquam* P, *nequi at enim quam* A. *Stich.* 106 *oportet, sed* P, *oportetosed* A, quo non debuit Kiesslingius *Mus. Rhen.* XXIII p. 118 uti ad *oportet eos* commendandum. scriba enim neglegentia *oportet* iterare coepit ut *Stich.* 276 ,pectus peorto' pro ,pectus porto'. *Truc.* 382 *adudivi* = *audivi* A. ex P similia affero: *Mil. glor.* 1422 *a nobis* = *nõ eibis.* *Truc.* 234 *quodomodo* = *quomodo;* coepit nimirum scriba *domo* pro *modo* scribere. *Most.* 763 *exte exemplum* P, ubi librarius in mente habuit *extemplo. Pseud.* 1051 *invenioas* = *invenias* B; *Poen.* 862 *manifestoi moechi* = *manifesti moechi* B; quocirca cave *Pseud.* 534 cum Lorenzio in *homoinum* (sic B) suspiceris inesse *homonum.* quorum numerum facile est augere.

Most. 606. 607

P: Faenus illic, faenus hic.

Nescit quidem nisi faenus fabularier

Uetro te: neque ego taetriorem beluam
Vidisse me umquam quemquam quam te censeo.

pro *uetro te* exhibet A *uno* . . „d. h. uno mit zwei senkrechten Löchern, in welchen zwei schmale Buchstaben wie *se* oder *te* oder dergl. gestanden haben müssen; (Studemundus *Festgruss* p. 64); unde Studemundus in A fuisse censet *unose*, nisus ille fragmento quodam Pacuviano apud Nonium servato (frg. 213 Ribb.): ‚Occidisti, ut multa paucis verba unose obnuntiem'. cui verbo a voce *unus* per terminationem *o(n)sus* derivato cum Studemundus significationem ‚gleichförmig in einem Zuge' vindicet (et requiritur sane Plautino loco haec notio), lubrico solo incedit; etenim neque unico loco, ex quo huius vocis notitiam cepimus, hanc significationem habet et Nonius eam convenienter loco Pacuviano interpretatur *simul*. deinde, ne quid dicam de adverbio in fine sententiae incommode posito, gravem dubitationem movet quod in A ex Studemundi verbis etiam *unote* fuisse potest; quod si sumimus, Ambrosiani scripturam, quae sententia prorsus caret, recensioni deberi non possumus contendere. Niemeyerus sane p. 28 quin *unose* verum sit nullus dubitat: ‚verum in A esse apparet; neque vero, quomodo testium discordia orta sit, in obscuro est. non enim intellexit corrector vocem obsoletam atque sat laudabili coniectura ex traditis litteris verum se enucleasse existimavit.' ex *vetro te* enim, quod P habent, Seyffertus *Philol.* XXV p. 452 egregie restituit *ultro te*, quam scripturam ut a grammatico inventam esse credam a me non possum impetrare. sed cum de Ambrosiani testimonio non plane constet, iudicio abstinendum erit.

Caput quintum.

Non totum repente quasi emersit quod demonstrare nobis proposueramus, sed per operosas inquisitiones multiplicesque ambages ad metam aditus nobis praeparandus fuit. iam disputationis longo cursu peracto uno conspectu, quid voluerimus, quid adsecuti simus, oculis proponere decet. non nobis in animo fuit universam quaestionem solvere, immo sat gravia reliquimus. sed cum falsa de condicione, quae inter recensiones intercedat, credi et pro-

pagari videremus, omne studium in eo posuimus, ut codicum testimoniis, quatenus in verbis traditis discedebant, diligenter congestis et sobrie comparatis poetae verbis constituendis firmum fundamentum substrueremus, sedulo id caventes, ne praeoccupati doctrinis de re iudicaremus vel incertas opiniones sequeremur. hoc itinere pedetemptim procedentes eo pervenimus, ut haec de recensionum condicione statuamus: a communi utriusque recensionis archetypo Ambrosiana recensio multo longius abest, quam Palatina. nam quae praeter verba poetae ille continebat documenta ad actiones scaenicas pertinentia et ad exemplaria histrica, quibus unis nostra fabularum Plautinarum memoria nititur, redeuntia, ea omnia tam audacter quam constanter sustulit auctor recensionis Ambrosianae. removit enim per totum corpus fabularum Plautinarum semeiosin illam, qua cantica et diverbia insigniebantur, removit litteras Graecas, quibus quomodo inter actores singulae partes distribuendae essent, indicabatur, removit scaenarum inscriptionum formam antiquissimam, quacum illa semeiosis ubique fere coniuncta est, induxitque admiranda profecto constantia noviciam non sine magna mutandi audacia. scaenarum distinctionem non eandem servavit quam archetypus habuit, sed cum in illo, cuius memoria in universum cum fide hac quidem in re Palatinis repraesentatur, scaenarum divisio parum certis normis circumscripta esset — nimirum in singulis fabulis, ex quibus corpus fabularum compositum erat, diversi domini gregum diversas rationes distinguendi secuti erant, quas non mutavit auctor illius archetypi —, certas hac in re sibi proponens leges saepenumero sustulit quae ei inutiles videbantur scaenae discretae.

Ad eundem auctorem etiam metrorum constitutionem exemplo illo, quod ex *Truculenti* scaenae II 1 inscriptione et divisione remotis sumpsi, manifestum fit; nam vix casui tribuas quod in eadem scaena, quam superiori coniunxit per metri mutationem satis scitam, integros versuum ordines in nova metra redacta esse videmus. eiusmodi autem recensionis exempla quam maxime memorabilia alibi quoque inveniuntur.

Quid in his Palatini? de quibus liceat repetere quae iam supra brevi comprehendimus. multa in eo semeioseos illius exempla supersunt, multa Graecarum litterarum partibus distribuendis inservientium. titulorum antiquissimi generis exempla non rara, medioximi creberrima, recentissimi haud ita multa. qua in re si deliberamus fabulas Plautinas, quales per Palatinam recensionem

propagatae sunt, per plus sex saecula licentiae grammaticorum et lectorum, socordiae librariorum traditas fuisse, porro antiquitatis illa testimonia in uno tantum alterove codice saepenumero servata esse, concedendum est ab auctore recensionis Palatinae ex archetypo principe et semeiosin et litteras illas Graecas et titulorum formam primariam in exemplar, quod condebat, plene tralatas esse; in quarum omnium integritate imminuenda tempus plus mille annorum non tantum efficere potuit, quantum in Ambrosiani recensione unius hominis deliberatum consilium. in scaenarum distinctione pauca correctionis factae vestigia in P apparent paene evanescentia prae iis, quae Ambrosiani corrector fortissime posuit. quaerentibus de hac re nobis ostendunt sane inconstantiam maximam, sed eam philologis quidem prae Ambrosiani elegantia et constantia longe praeferendam. correctionis vero metricae, quo in genere ad summum licentiae fastigium escendit auctor Ambrosianae recensionis, in iis saltem partibus, quae in A aetatem tulerunt — de reliquis cur mihi agendum non fuerit, apertum est — paene nullum ego quidem exemplum detegere potui.

Quod inde colligendum esse iam supra meo iure dixi, codices Palatinos ex integriore quam Ambrosianum archetypo, quippe qui solus antiquitatis documenta religiose servaverit, derivatos esse, non minus evidenter comprobasse mihi videor eo capite, quod est de recensione grammatica. nam graviorum mutationum, quae certe ad ipsos auctores recensionum, non ad posterioris aetatis grammaticos redeunt, numerus in A multo frequentior est, quam in P; earum autem, quibus rationes proprie grammaticae ansam mutandi non solum auctoribus recensionum, verum etiam magistellis librariisque dare potuerunt, si in P paullo plures inveniuntur, ad recensionum bonitatem cave multum valere credas, cum inter saeculum V et XI partem certe earum natam esse consentaneum sit. longe autem gravius est, quod disputatione de *Epid.* 620. *Mil. glor.* 1180. *Truc.* 271. *Mil. glor.* 24 (cf. p. 20 sqq. 118 sq.) evictum est, Ambrosianum omnibus illis locis, quibus ad Varronis et Verri Flacci tempora diversitates scripturae redeunt, gravissimam ostendere retractationem susceptam non sine doctrina, cum P veram ubique scripturam etsi ex parte (velut *Mil. glor.* 1180 *exfafillato*) certe non intellectam, nihilo minus cum fide propagatam praebeant. vide quanto propius ad antiquissimum fabularum Plautinarum exemplar, in quo omnis Plauti crisis condita est, accedant Palatini, quam Ambrosianus. quod antequam cognitum

est, iure solo fere in Ambrosiano, quippe qui aetate Palatinos longe superaret, nisi sunt, qui contextus, quem vocant, Plautini constituendi operam susceperunt. nunc postquam Palatinos potius, etsi aetate longe inferiores Ambrosiano, re vera proxime ab archetypo principe abesse intellectum est, immutetur necesse est ratio critica, quam huiusque editores secuti sunt: pro fundamento artis criticae in Plauto exercendae Palatini habendi sunt. Ambrosiani vero auctoritas non mediocriter in universum imminuenda eiusque lectiones, etsi propter retractationem, quam P quoque perpessi sunt, ubique comparandae et ponderandae sunt, ne calidius inter Plautinas recipiantur, magna cautio adhibenda est; omnibus autem locis, quibus dignitatem prorsus aequam et parem recensionum scripturas obtinere vidimus, ratio iubet non codicis, qui forte vetustior aetatem tulit, sed fontis ab archetypo principe proxime distantis, ergo Palatinorum scripturam Plauto restitui. in quo non negaverim fore, ut aliquotiens ex Palatinis adulterinae scripturae recipiantur, sed eidem errori subiecti sunt, qui Ambrosiani normam sequuntur, et rationi criticae illud magis quam hoc convenit.

Alterum, quod in hac commentatione demonstrandum mihi proposui, hoc est, diversitates, quae inter recensiones extant, non deberi soli ingenio auctorum recensionum, nedum grammaticorum, sed ab utriusque recensionis auctoribus fabulas Plautinas etiam secundum exemplaria histrica, quae iis praesto erant, correctas esse. quod ut appareret, profectus sum a *Stichi* versibus 48—57, quos iam Ritschelius relictos esse e tali recensione huius fabulae, qua novae actioni scaenicae aliquanto post Plauti aetatem consuleretur, coniecit. qui cum in A non legantur neque deleti esse credi possint, undenam in codices pervenerunt, si ex histrico exemplari actioni illi comparato ab auctore recensionis Palatinae in exemplar quod conficiebat eos translatos esse non concedimus? ad eiusdem generis fontem cum in P, tum in A plures versuum series redire demonstrasse mihi videor. deinde singulorum versuum duplices formas, quas in una eademque recensione hic illic extantes ‚interpolatoribus' posterioris aetatis tribuerunt viri docti, ad histriones ego rectius ut opinor retuli. unde ratio iubebat eo nos progredi, ut etiam ubi altera recensio versus formam ab alterius memoria prorsus diversam praebebat, inter quas utra Plautina esset diiudicari non posset, diversitatem ex histricis exemplaribus originem duxisse crederetur. denique ingens multitudo differen-

tiarum inter recensiones extabat eius generis, ut nulla prorsus causa, cur altera utra scriptura mutata esset, conspici posset; quas si quis ad ‚grammaticos' referendas censeat, analogiis ex lato litterarum Latinarum et Graecarum campo arcessitis suam sententiam firmet velim, nisi forte grammaticis, qui Plautum recensuerint, ingenium prorsus singulare praecipuumque inter omnes quasi fervorem mutandi arroget. immo earum maxima pars necessario, reliqua commode ad illas recensiones novis actionibus destinatas refertur, unde in recensiones modo Ambrosianam, modo Palatinam transierunt. in eiusmodi exemplorum multitudine si quis unum alterumve exemptum grammaticaeque potius recensioni assignatum vult, minime adversabor: de ipsius viae ac rationis, quam secutus sum, veritate nullus dubito. utraque autem recensio cum ex illis fontibus correcta sit, in huius generis discrepantiis utra saepius scripturam Plautinam servaverit numerare ut periculosum ita otiosum est. nam ne urgeam quod iudicium sat multis locis prorsus nullum fieri potest ob aequam lectionum praestantiam, casui, non rationi subiectam esse hanc computationem dixerim: quis enim negaverit fieri posse, ut interdum eodem loco utriusque recensionis scripturae ex illius modi codicibus desumptae sint atque adeo ut exquisitior scriptura histrioni, simplicior Plauto debeatur? omnes igitur locos, quot quidem recensioni scaenicae adscribendos esse certum est, si quis de recensionum auctoritate integrum iudicium facturus est, non adhiberi par est.

Index locorum.

1a²

Corrigenda.

p. 11 v. ult.	*legendum*	quam hós.
p. 42 v. 7. 9. 13	„	Theopropidi *et* Theopropides.
p. 43 v. 36	„	atque *pro* at.
p. 92 v. 24	„	*Pseud.* 376.
p. 96 v. 9	„	accommodatum.
p. 98 v. 24	„	aestimandae.
p. 104 v. 13	„	didascaliarum — compositarum.
p. 105 v. 32	„	agnoscendum.
p. 110 v. 30	„	scaenae.
p. 111 v. 9	„	opperibor.
p. 111 adn. 3 v. 2	„	III virisque.
p. 125 v. 17	„	poeta.

p. 137 v. 11 *delenda sunt verba* summi momenti ad nostram quaestionem est.

Impressit E. Gruhn, Warmbrunn.